



Ex legato D.ni D. Episcopi
Antonii Francisci de
Marmis



SACRA SVPERIORIS AEVI
ANALECTA,
In quibus
VARIORVM
AD
VENCESLAVM LINCVM


EPISTOLAE,

plures, quam septuaginta,
MART. LVTHERI
SERMO
In
I. Io. V. comm. IV.
Eiusdem ad
BERNARDVM,
e Iudaismo conversum,
EPISTOLA.
M. ALBERTVS MENO
VERPOORTENNIVS,
Ex tabulis MSPtis in lucem protulit,
Vitam Linci praemisit, epistolasque additis argumentis
& Scholiis illustravit.

Xenophon:
Καὶ τὰ πάρεργα δεῖ τῶν σπουδαίων
ἀνδρῶν ἀναγράφειν.

Coburgi, formis Io. Nicol. Monachi Dux Sax. Typogr.
MDCCVIII.

PRAELVSTRIS REIP.
NORIMBERGENSIS
PRAETORI
ac
SENATORIBVS
Splendidisſimis,
Viris illuſtribus, generoſisſimis ac
Prudentiſſimis,
Patriae Patribus
longe meritisſimis,
Sacrum.



* * * * * * * * *

QVamuis tum reipublicae dignitatisque VESTRAE illuſtris ſplendor, tum libelli huius parva moles, & ignotum VOBIS meum, hominis exteri, nomen facile me a peragendo hoc, quod ſuſcipio, ſolennis nuncupationis officio abſterrere potuiſſent: non tamen paſſa eſt iuris & aequi reverentia, vt hoc, quicquid eſt, multis certe modis VOBIS vnice debitum, aliis inſcriberetur nominibus. Vindicat ſibi *Lincum* iure ſuo Norimberga: nec alia fidelior tanti viri memoriae cuſtos erit, quam quae alumna fuit & Patrona

viventis. Quo itaque iuſtius, quam ad Vos, referatur, quod de reliquiis Bibliothecae eius temporum viciſsitudini ſupereſt, & publico vſui nunc demum conſecratur? Quanquam & alia me cauſſa movit. Nam in his epiſtolis, prelo praeparandis, non poterat non venire in mentem enixum atque ſingulare Praeluſtris SENATVS & verbi divini miniſtrorum in Vrbe VESTRA ſtudium in aſſertione & propagatione doctrinae ſalutaris periculoſisſimis temporibus conſtanter, &, aſpirante DEI O. M. numine atque gratia, feliciſsime navatum. Qua enim prudentia, ſubdola illa variisque artibus involuta pacis iniquae conſilia, quibus coetuum Evangelicorum ſalus in celeberrimis Imperii Comitiis A. CIƆ IƆXXX. Auguſtae Vindelicorum habitis petebatur,

tur, senserunt maiores VESTRI? qua firmitate animorum ac pietatis constantia, illa depulerunt, aliisque, vt sibi rectius caverent, sapientissime auctores fuere? Nihil eos ab agnitae veritatis amore atque patrocinio dimovit non obscure denunciata Caesaris ira, etiam oblatum hospitii officium non sine aculeo suscepta sacra puriora repudians. Non eos remorata est illata semel iterumque legatis ipsorum, violato gentium iure, vis publica, quo minus, quae ad caussam DEI ac patriae pertinebant, & susciperent animose, & strenue atque indefesse exequerentur. Neque tamen in ea re vel suae sapientiae, vel humanis opibus atque auxiliis confisi sunt, sed DEO gloriam suam verbique decus curae esse scientes, quicquid eo nomine sibi sustinendum foret, a

DEO ipso sustentatum, atque in rem suam egregie tandem conversum iri, nulli dubitabant. Memorabili ad omne aevum exemplo, in summo Germaniae metu, cum plerisq; salutem suam vix aliter, nisi propriis & sociorum armis iunctisque viribus tutam crederent, inclyti Norimbergenses nec armis, nec federibus sibi in hac caussa opus esse putarunt, sed fiducia in DEVM, cultuque verae doctrinae & pietatis solide nixi reliqua providentiae commiserunt. Animo tamen & studio propugnatores causae melioris inter primos: qui nec Praesulis Bambergensis, antiquum sibi ius in Vrbis ecclesias ascribentis, auctoritatem, nec praesentiam Principum, absente Carolo, rebus Imperii moderantium, veriti, instituerunt publicam sacrorum emenda-

dationem, neque, nisi perfecta re, ab opere destiterunt. Nihil hic per factiones, aut tumultum, nihil nuda auctoritatis praescriptione gestum est, sed, conscientiarum ratione sollicite habita, iis gradibus, quos res ipsa, DEO duce, commonstrabat, sanctum hoc negotium promotum. Nec suis prospexisse contenti, opportunitate commerciorum vsi, literarum librorumque communicatione lucem sincerioris doctrinae in exteras quoque regiones, ipsamque Pontificis sedem, Italiam, intulerunt. Vt adeo omnibus laudum praeconiis celebranda sit pia haec Norimbergae VESTRAE cura, qua illa, quantum plerisque omnibus Germaniae vrbibus potentia & splendore praestat, tantum etiam patrocinio piae iustaeque caussae antecelluit, vere, *Lutheri* encomio,

Sol

Sol inter sidera. Quam equidem gloriam omnibus triumphis congestisque opum maximarum cumulis longe anteponendam existimo, quippe quae non, brevi temporis circumscripta spatio, mox evanescit, sed in omnem perdurat aeternitatem, praemiumque non ex terrenarum caligine sordium, & fortunae incerto, verum ex benignissima ipsius DEI manu gaudia DOMINI sempiterna capit. Atque haec quidem omnia eo me non iniuria induxerunt, vt in ipsam pietatem, Maioribus VESTRIS, & caussae sacrorum communi, debitam, grauiter peccare mihi videar, nisi ad VOS, PATRIAE PATRES, haec prioris aevi monumenta, iam a prima sui origine Doctori VESTRO, *Linco*, inscripta, attulero. Vos enim estis, qui non tantum in de-

decus generis & honoris, ſed curam quoque reip. & ſacrae & civilis ſucceſſiſtis: Vos eſtis, quorum humeris, veluti totidem Atlantibus, incumbit ingens illa civitatis VESTRAE moles: Vos eſtis, quorum ſollicitudine tutis civibus VESTRIS & praeterita DEI in ſe benefacta recolere, & nova indies adipiſci licet. Perſtat, DEI O. M. beneficio immortali, VESTRAQVE, SVMMI VIRI, opera, oraculis divinis ſuus apud Vos honos: manet bonis literis & in VRBE VESTRA, & in celeberrima Academia VESTRA Altorfina laus ſua & praeſidium: praeſto eſt iuſtitiae, honeſtati, virtuti, bonae copiae apud Vos patrocinium. Nec vereor, ne parum VOBIS grata ſit hominum priſcorum, de Civitate VESTRA optime meritorum commemoratio; qui

qui & ipsi animorum religione, prudentia, iustitia, assiduitate laborum, civibus VESTRIS perennem nominis VESTRI commendare memoriam studetis: pietate vero, maioribus sancte integreque praestita, optime ostenderitis, quid & VOBIS olim grata debeat posteritas. Atque ostendit provida coelestis Patris cura facto ipso luculenter, quo amore Norimbergam amplectatur: & quam gratas habeat vigilias VESTRAS, pro communi salute susceptas. Vidimus, (vt Vrbem superioribus Germaniae bellis saepius servatam nunc taceam) vidimus, inquiam, proximis his annis hostes in ipsis Germaniae visceribus ferro flammaque grassantes; vidimus exigua spe salutem pendere omnium vicinorum; VESTRAE inprimis VRBI praesentissima audivimus,

non

non ſine hoſtis iactatione, intendi pericula: Sed & Vrbem VESTRAM, quaſi obicem quendam, hoſtilibus conſiliis oppoſitam vidimus, quam vbi aggredi conati ſunt, ipſius DEI clypeo tectam relinquere illaeſam, quia alia poſtmodum cogitare omnia coacti ſunt. Neque ea in re VESTRAE ſolum civitati, ſed toti Patriae communi, atque inprimis Franconiae noſtrae vniverſae, cui Vrbs VESTRA praeſenti praeſidio fuit, divinitus eſt conſultum. Quod quum par ſit omnibus ſupplicationum gratiarumque generibus agnoſcere omnes ac praedicare, tum VOBIS itidem, PATRES PROVIDENTISSIMI, gratulandum eſt maximopere, quos in magna hac tempeſtate clavum tenere, reique publicae navem tam feliciter in portum reducere divina iuſſit benigni-

tas. Faxit DEVS immortalis, vt inposterum quoque inclyta VESTRA civitas ab omnibus defensa turbinibus in sede sua stabilis ac laeta consistat, & perenni flore beata, pietatis, virtutis, artium gloriam aliis super alia operibus augeat, VESTRIS que adeo prudentissimis consiliis & fructus praesens, & grata apud DEVM praemia constent: Eiusdem ope atque auxilio ecclesiae quoque VESTRAE cum ab externis veri hostium invasionibus atque fraudibus, tum ab intestinis dissidiis, atque inconsulta novaturientium atque impiorum temeritate sartae tectaeque serventur. Vos itaque benevola mente ac manu haec ad *Lincum* VESTRVM spectantia suscipite; atque si mea in his opella parum rei ipsi votisque VESTRIS respondere videatur, me, quod prae mani-

manibus erat, ſincere offerre exiſtimate; quae vero deſunt, ex gaza VESTRA libraria, vere regia, atque tabulariis, per idoneos homines, bono publico, explete. Dab. Sonnebergae Coburgenſium, die MARTINI memoriae in faſtis ſacro, qui erat a. d. III. Nov. A. C. CIↃ IↃ CC VIII.

VESTRAE,

VIRI ILLVSTRES, GENEROSISSIMI AC PRVDENTISSIMI,

DIGNITATI AMPLISSIMAE

addictiſſimus

M. Albertus Meno Ver-Poortennius,

Coetus Chriſti Sonnebergae Paſtor, atqi Ephoro Neuſtadienſi ad ericas in procuranda parte Dioeceſeos adiunctus.

PRAE-

PRAEFATIO AD LECTOREM.



Abes hic, Lector candide, sacras quasdam aevi prioris reliqvias, epistolas scilicet virorum Magno Luthero non tantum aetate, sed & laboris in instauranda domo DEI, periculorumque societate conjunctorum. Familiari, fateor, sermone scriptae sunt ad familiarem, neque isto, ut publicae luci exponerentur, instituto: nihil tamen nec in publica commoda, nec in pietatem, praeclaris virorum illorum meritis debitam, nec in amicitiae, secreta sua sibi iubentis servare, jura me committere hac editione, aequis judicibus facile probari existimo. Neque mihi nunc ad mores nostrae aetatis provocare necesse erit, varias variorum literas ex arcanis scriniorum recessibus passim protrahentis; forsan enim in eo nonnunquam curiositate, aut imprudentia peccatur: hoc solum affirmo, tantas isto sae-

culo in cœtu DEI res vel in ſola Germania noſtra eſſe geſtas, ut earum quavis occaſione renovare memoriam, ſeriemque illuſtrare, & grati ergà DEVM O.M. veritatis coeleſtis auctorem atque ſtatorem benigniſſimum, animi, & egregiam illorum virorum operam ſuo pretio aeſtimantis, prorſus eſſe videatur. Occupavit quidem bonam partem in hoc argumento jam olim eximia multorũ induſtria; ejusque rei inprimis vir & genere, & muneris dignitate, & innumeris in omnes reip. partes meritis longe illuſtriſſimus, *V. L. Sekendorfius*, noſtra ætate ſine controverſia palmam tulit, ut pote praeter inſitam ingenii vim, omnemque vitae civilis uſum, cum incredibili diligentia conjunctum, longe pluribus, quam ante ipſum quisquam, vel ope amicorum, vel ex tabulariis Principum, ſubſidiis inſtructus: nondum tamen hic unus adeo perfecit omnia, ne poſt meſſem iſtam quamvis copioſam alicubi ſpicilegium ſuperſit. Orbi certe erudito cognitum perſpectumque eſt ſingulare Divi RVDOLPHI AVGVSTI, Sereniſſimi nuper Brunovicenſium & Luneburgenſium Ducis,

cis, de conscribenda pleniore *reformationis Evangelitae* historia consilium, cui longe amplissima praeparare adminicula ne sua quidem Princeps optimus indignum judicavit cura, eaque opes literarias, auro contro caras, publico ecclesiae usui in Academia Iulia solenniter dedicavit. Quo quidem exemplo utinam multi omnium ordinum ad justam divini in coetus nostros beneficii agnitionem, sanctam observationem, & stabilem fructum, sedulamque commemorationem excitentur! Ita foret, quod torpori saeculi, atque adversariorum, multis modis, vel vi aperta, vel per cuniculos, nostros aggredientium, artibus opponeres. Interea autem, dum ab aliis majora & pleniora exspectamus, liceat mihi has ad Venceslaum Lincum epistolas cum adjectis consecrare publico, unde alibi dicta uberius confirmentur, obscuriora illustrentur, perperam posita nonnulla corrigantur, &, quorum crebra in illius aetatis descriptionibus occurrit mentio, clarius patescat ingenium atque institutum. In quibus si nonnulla levioris momenti videantur, hoc tecum, velim, cogites,

non eadem omnibus vel levia videri, vel praeclara, ſed, quod huic rejiculum ſit, alteri certa de cauſſa impenſius placere; neque mihi tam in eligendo aut rejiciendo judicium, quam fidem in edendo atque diligentiam praeſtandam fuiſſe. Videbis hic, neque, ut arbitror, ſine ingenua quadam animi voluptate, *Bilibaldi Pirckeimeri* egregium in ſacras elegantesque literas, non obſtante quorundam invidia, ardorem; *Staupitii* animum a Lutheri quidem cauſſa non alienum, ſed trepidum nimis ac demiſſum; *Spalatinum* diligentem amicitiae cultorem, & de eccleſiarum evangelicarum ſalute ſollicite ſatagentem; *Draconitae* pietatem; *Viti Theodori* lenitatem atque prudentiam; *Iuſtum Ionam* & animo & ſtilo promptum; *Langi* ſollicitudinem religioſam; *Aquilae* in cauſſa DEI impetum; *Forſteri* magnitudinem animi; *Amsdorffii* virtutem, aequitate mentis utrisque fortunae parem; *Plateani* in re ſcholaſtica induſtriam & fidem; *Menii* ac *Venatorii* operam Muhlhuſinis & Rotenburgenſibus non ſine fructu impenſam; *Brentii* moderatum piumque in omnes ſtudium;

laeta

laeta *Myconianae* fidei jubila; *Baumgartneri* casus & animum piis faventem; *Oecolampadii* in caussa sacramentaria offensiones; & alia. Erit in his, quo considerato nostrorum temporum deplores lentitudinem & teporem: ubi varias de controversiis, & ecclesiasticis, & Politicis, & literariis, sententias audias: nonnulla hinc, sine quibus vel ordo rerum gestarum, vel ratio, apud alios scriptores sibi non satis constat, alibi minus explicata, suppleas. De quibus tamen omnibus in rem praesentem venire te, quam meo duci praeconio, malim. Vt tamen expeditior esset & lectio & usus epistolarum, visum est, argumento uniuscujusque epistolae complecti summam, itemque ad illustranda quaedam dicta obscuriora, aut lectores, quibus minutiora ista non semper in promptu sunt, de hominibus rebusque illius aetatis admonendos, nonnulla aspergere. Quod quidem consilium bona cum pace tua, mi Lector, cepisse me confido.

Nunc, unde has promam epistolas, paucis habe. Codex mihi ad manus fuit ab homine quodam erudito inter an-

num seculi post C. N. decimi sexti quinquagesimum & sexagesimum, sigillatim, ut arbitror, circa A. C. ɔIɔ IɔLIII, quod ex ejus inspectione conjecturis non levibus intellexi, exaratus, qui praeter alia, in farraginem collecta, duas has & septuaginta epistolas complectebatur. Videntur illae, Linci Bibliotheca post ejus obitum (ut *Aurifaber in Tomi 1. Epp. Luth. Epistola nuncupatoria* queritur) turpiter dissipata, in manus amici devenisse, qui, ne alio casu plane perirent, eas hoc volumine vel descripserit ipse, vel describi curaverit. Nam & alia, Lincum spectantia, habuisse vel ex descriptione itinerum viri, ipsius vitae a me adjecta, sermone item Lutheri, ex eadem supellectile libraria, nisi fallor, decerpto, jure colligas. Atque hic codex tandem in manus venit Viri, talium monumentorum perquam studiosi, *M. Samuelis Cnauthii*, propter collecta atque edita Aug. Buchneri, & Conradi Samuelis Schurzfleischii Carmina, aliosque labores, orbi erudito non ignoti, a quo frater meus, *Ioannes Burcardus VerPoortennius*, certa pactione traditum Vitemberga ad me ista mi-

misit lege: curarem, ut lucem epistolae viderent publicam. Non enim obscurum erat, in tenebris adhuc istas delituisse; nisi quod de Bilib. Pirckheimeri & Oecolampadii literis haereo, quoniam nec volumen Orationum Gregorianarum in Latinum sermonem a Bilibaldo traductarum, nec Zvinglii atque Oecolampadii epistolas olim collectas inspicere hac vice licuit. Ea autem conditio quum aequissima videretur, de ea quamprimum explenda, quantum res meae, suscepti-que negotii rationes ferrent, statim cogitavi: cum consentientibus eximiorum virorum, haec literarum monumenta luce publica dignissima censentium-q suffragiis, (in quibus illustem virum, *Io. Burc. Roslerum*, Serenissimorum Saxoniae Ducum Cancellarium Coburgensem, & Sanctiorem Consiliarium, acerbo nuper funere reip. & mihi ereptum, Theologū item Vitembergensem Clarissimum, *Gottlieb VVernsdorfium*, cui hae epistolae ita placuerunt, ut ex XXII. nonnulla in eruditam suam *de Osiandrismo* disputationem conferret, nunc nominasse sufficiat,) tum vero inprimis aureo illo Lutheri

fermone, publicis ufibus omni jure debito, mirifice delectatus, atque ad exequenda haec cogitata impulfus. Cui quidem hac ratione longe benignius fatum, quam aliis quibusdam Lutheri lucubrationibus, ante motum cum Pontificiis certamen fcriptis, obtigit. Nam eae pleraeque coecis tectae tenebris jamdiu delitefcunt, vel etiam per varios cafus plane funt e medio fnblatae. Extitisfe autem iftius generis plura, quam quae inter fcripta Lutheri typis expreffa hactenus leguntur, quaedam etiam cum amicis communicata fuiffe, vel eo conftat, quod Lutherus ipfe *Epp. T. 1. Ep. XVI.* orationis meminit, a fe Gothano in capitulo habitae, quam Lango mittit, ejusque aliis quoque copiam fieri jubet; cujus tamen hodie nec pagina nec apex apparet. Hunc vero, quem nunc publico damus, fermonem primis illis Lutheri, nondum in acie verfantis, annis tribuendum effe, nemo facile iverit inficias, qui integrum attente perlegerit. Infunt enim in eo doctrinae, quam poftea Lutherus profeffus eft, confiliorum item, quibus in eadem inftauranda ufus, femi-

na egregia, & capita adeo praecipua caussae melioris; sed ita tamen, ut nondum adsit impetus ille animi, apparatusque sententiarum, quo post primas velitationes hanc caussam auctor egit. Praeterea ubi semel sacris istis certaminibus immersus est Lutherus, vix tantum a re ista fuit ipsi otii, ut eam, quam hic vides praestitam, operam dare amicis posset. Scriptus enim est sermo Praeposito Litzkensi, cui cum Luthero magna intercessit familiaritas, ut ex *epistola I. II. & III. T. II. Epp. Luth.* patet; inde forsan nata, quod ibi coenobio Augustinianorum Vitembergensi piscina esset, cujus Lutherus aliquando fuit Terminarius. vid. *ep. XXI. T. I. Epp.* Neque enim praepositus ille Augustinianorum sectatus est instituta, quum Lutherus vim statutorum ordinis ipsius se affirmet ignorare, *ep. I. T. II.* Quod si in re nonnihil obscuriore conjecturae locus est; videtur sermo hic Praeposito ad Synodum Pisanam vel Lateranensem (hae enim in ista tempora incidunt) ituro scriptus esse, ut haberet, quod diceret illo conventu dignum & salutare, si forte ad orationem

sa-

ſacram publice habendam invitaretur. Diſertis enim ibi verbis ſynodi mentio fit, *in qua* (ut loquuntur) *pro utriusque ſtatus reformatione laberetur:* quod vix alio circa illa tempora, niſi ad illuſtres illos & communes orbis Chriſtiani conventus, retuleris. Sed quicquid ejus ſit, non plane periiſſe Linci ſupellectilem librariam, pro uberrimo monumentorum ad illius aevi hiſtoriam pertinentium armario olim (vid. *inf. ep. XLV. & XLVII.*) habitam, putabimus, dum inde his Analectis frui datur. Qvorum ut tibi gratior uſura eſſet, amice Lector, vitam Linci praemittere viſum eſt, ut quidem nonnulla de ipſo non nimis anxie inquirenti ſe obtulere. Plura de eo, & uberiora ex ſcriniis vel eccleſiae vel urbis inclytae Norimbergenſis, quippe quae Lincum ſibi fere & mancipio & uſu vindicaverat, ſi cui huic rei incumbere illic loci placuerit, exſpectes.

Interea his bene utere,

& vale.

) : o : (

Ven-

Venceslaus Lincus Colditii a) in Misnia circa A. 1483. b) in lucem editus est.

a) Fide dico *Sekendorfii*, qui Colditiensem appellat.
b) vid. *inf. ep XXXIII.*

De Parentibus nihil constat certi, hominibus ejus aetatis in consignanda talium rerum memoria fere negligentioribus, partim diuturnitate temporis, partim bellorum violentia, partim negligentia posterorum deletis atque amissis. Ipse quoniam tunctemporis opinione plerorumque omnium genus vivendi monasticum optimum sanctissimumque judicari intelligebat, cupiens & ipse DEO se ac literis totum consecrare, adolescens mature Augustinianorum sectae, in Misnico coenobio, Waltheim, c) nomen dedit, in ea propter morum atque instituti similitudinem mox Staupitium, Langum, Lutherum, d) quin & extra fratrum clau-

c) vid. *inf. ep. XX.*
d) *Luth. Epp. T. 1. Ep. LXVI. Dulcissimus frater meus, Magister Venceslaus Lincus, qui ab ineunte aetate pari mecum studio adolevit. Idem T. III. Altemb. p. 151.* eum *charissimum in Christo fratrem, suumque in omnibus calamitatibus socium* appellat.

claustra, Spalatinum, Amsdorfium, alios, amicos nactus, in omni fortuna ad extremum usque spiritum fidissimos.

Inprimis vero literas sacratiores tunc sensim in mediis regni Pontificii tenebris renascentes summo amore, alacri studio, memori & pia mente complexus tantum in iis profecit, ut anno aetatis XXVIII. Vitembergae, in prima novellae istius Academiae celebritate, inter sodales cum paucis dignus videretur, cui munus publice ad populum sacra verba faciendi in coenobio mandaretur. Quod ita quidem executus est, ut spretis hominum commentis, superbaque virtutis & religionis iactatione, ad Christum regia via duceret, eique quam posset plurimos adjungere sedulo studeret. Testis hujus rei locuples est *Iustus Ionas*, qui doctrinae divinioris semina ubere & pura manu a Linco in paupertina Augustinianorum aede sparsa fideli mente reposuit, atque doctori huic suo etiam post annos complures grati animi sinceraeque laudis fructum reddidit. Neque auribus viri dedisse aliquid, remque in majus extulisse censendus est, quum nemini tum

esse

esse potuerit opprobrio, superioris aetatis, si quae fuissent, vitia agnoscere, atque luculenta eorum emendatione gaudere: nec sine caussa Ionas credi debet Lincum ob auditas ejus conciones sacras *Patris in Domino* e) honore venerari.

e) vid. *inf. ep. XVIII.*

Multum hic Staupitii ac Lutheri familiaritati debuisse nostrum, non dubito: quorum ille, etsi extremo vitae actu parum sibi constans, a principio tamen egregie doctrinae sincerioris initia fovit ac sustentavit; hic autem non sine numine & consiliis DEI O. M. inde a primis officii publici auspiciis perplexam superstitionum & nugarum molem aspernatus, sua melioribus curis sacrare tempora constituit. Hos adeo quum Venceslaus passibus prope aequis f) sequeretur, non diu intra angustos monasterii carceres ipsius contineri potuit industria, sed majoribus subinde rebus admoveri depoposcit.

f) *Luth. Epp. T. i. Ep. LXXX. Venceslao Sinistro, Theologo dextro.*

Primum quidem supremo studiorum sacrorum honore, qui tunc promiscue *Magistri*

gistri & *Doctoris* nomine veniebat g) auctus, deinde sociis in conventu, *Prioris* appellatione, praepositus, hoc autem liberatus h) onere, ob pietatis, eruditionis & facundiae laudem a variis, ut sibi praeconio salutaris doctrinae praesto esset, certatim expetitus est: eamque operam Bavaris primum Monachii, i) deinde Norimbergensibus k) potissimum egregie praestitit.

g) vid. *Epp. Luth. T.* I. *Ep. LXIX.* item *ep. LXII.* coll. cum *ep. LXVI.*
h) vid. *T. I. Ep. XXI.* ubi illud. *absolutus*, significat, Venceslaum Prioris officio, bona cum Vicarii gratia, decessisse.
i) vid. *l. c. ep. XXI.*
k) unde A. CIↃ IↃ XVIII. Nurmbergensium Ecclesiasten *Lutherus* appellat *l. c. ep. LV. & LXXX.*

Constat illud gravissimo senatus populique Norimbergensis judicio, qui ubi semel virtutis ac doctrinae Linci experimentum cepit, cum primum eum legibus monasticis solutum intellexit, non conquievit, donec eum sibi plane & in perpetuum asseruisset. Priusquam autem hoc fieret, variis gradibus ad quaeque in ordine suo praeclara ascendit. Nam & sub Staupitio, Vicario Generali, Provincia-

cialis vicarii l) dignitatem ſuſtinuit, eoque nomine, praeter ceteras occupationes, Luthero Auguſtae Vindelicorum cum Cajetano agenti m) aſtitit: & Staupitio magiſtratu Ordinis in Islebienſi capitulo n) decedenti, conſentientibus fratrum ſuffragiis ſucceſſor o) datus eſt.

l) vid. *Sekendorf. Hiſt. Luth. lib. 1. p. 17.* ex Myconio.
m) vid. *Epp. Luth. T. 1. Ep. LXII. & LXVI.*
n) Factum id A. C. clↄ Iↄ XX.
o) vid. *Epp. Luth. T. 1. Ep. CXCI.*

Quo quidem in officio coetus fratrum diligenter inviſit, teſtibus binis p) Itinerariis, & ſimul expurgandis erroribus pro virili operam navavit.

p) Placet ea hic integra inſerere: ut veteres Auguſtinianorum habitationes videamus. Peregrinatio D. Vinc. Linci Anno MDXX.

¶ Ex Islenb. in Vitenbergam & e contra. 22. millia: ¶ A Vitenberga in Erphurdiam & e contra. 18. mill. ¶ Inde in Northuſiam 7. mill. ¶ Inde in Salzam 5. ¶ Inde in Eſchvegen 5. mil. ¶ Inde in Creutzberg 2. ¶ Inde in Gotham 4. ¶ Inde in Salzam 2. ¶ Inde Erphurd. & econtra 8. ¶ Inde Northuſiam & Islebiam 12. ¶ Inde Vitenbergam 11. ¶ Inde in Grimmen 9. ¶ Inde VValtheym 3. ¶ Inde Dreſden 6. ¶ Inde Hertzperg. 10. ¶ Inde Vitenbergam 6. ¶ Inde Magdeburgam 11. ¶ Inde Sternberg, & econtra 50. ¶ Inde portam coeli 8. ¶ Inde ad Duciſſam 2. ¶ Inde Quedelburgam 3. ¶ Inde Isleb. 5. ¶ Inde Grimmen 10. ¶ Inde Neu-

ſtadt

stadt 10. ¶ Inde Culmbach 10. ¶ Inde Nurmbergam 12.

Summa: 251.

Anno XXI. post pascha.

Ex Nurenberga in Kunsperg & econtra. 26. ¶ In Moricis 24. ¶ In Rasain & econtra 13. ¶ In Mundelheim. 10. ¶ In Vlm 7. ¶ In Esslingen 8. ¶ Hinc in Pfortzen 7. ¶ In Rastat 5. ¶ In Strasburg 6. ¶ In Schlestat 6. ¶ In Rappersvvie 2. ¶ In Rastat 14. ¶ In Dormintz 1. ¶ In Milberg 1. ¶ In Grabbo 2. ¶ In Heidelbergam 4. ¶ In Franckford 10. ¶ In Confluentiam 10. ¶ In Merlenam 8. ¶ In Coloniam 5. ¶ In Berchen 3. ¶ In Iuliacum 3. ¶ In Aquisgranum 4. ¶ In Mastricht 4. In Hasselt 4. ¶ In Dist 3. ¶ In Lyram 7. ¶ In Antverpiam 2. ¶ In Gandavum & econtra 10. ¶ A Antverpia in vetus Buscum 7. ¶ In Dordracum 5. ¶ In Roterodam 3. ¶ In Delfft 2. ¶ In Leiden 5. ¶ In Harlem 5. ¶ In Alckmar 4. ¶ In Horn 3. ¶ In Enkhusen 2. ¶ Ex Enekhusen redeundo per Hagum Comitis ad Antverpiam 35. ¶ In Mechlin 14. ¶ In Bruxellam 4. ¶ In Angiam 5. ¶ In Bruxellam 5. ¶ Lovanium 4. ¶ hinc Tinheim 3. ¶ hinc ad S. Trudonem 3. ¶ hinc Tungarim 3. ¶ Mastricht 3. ¶ Coloniam 14. ¶ E Colonia in Seburg 3. ¶ In Merlen 2. ¶ hinc per Eittorf, Allzendorf, Birmich, Altenkirch in Hachenberg 4. ¶ hinc per Hofen, Dresseldorf, Hayn in Tillenberg 5. ¶ hinc per VVaydbachler in Marpurg 5. ¶ In Kirchain 1. ¶ In Ziegenhaim 3. ¶ In Spiskappel 1. ¶ In Homburg 1. ¶ hinc ad Fuldam 1. ¶ In Spangenberg 1. ¶ In Cappel 2. ¶ In Esschvegen 2. ¶ In Muhlhusen 3. ¶ In Creutzperg 3. ¶ In Gotham 4. ¶ In Salzam & Muhlhusen 4. ¶ In Erphurd 6. ¶ Neustadt 7. ¶ Culmbach 10. hinc 12. Norinbergam. ¶ Adde a Norinberga ad capit. Isleuben 37.

Facit

Facit 451.

Pariter A. CIƆ IƆ XXII. Islebia fuit. vid. T. II. *Epp. Luth. f. m. 26. & 60.* Sed isto anno, propter odia Pontificiorum jam vehementer gliscentia, ad inspiciendas in aliis Germaniae regionibus sociorum res excurrere non potuit.

Atque huc inprimis spectant, quae Vitembergae in synodo Augustinianorum *de votis monasticis & Missa privata abrogandis* statuta sunt, q) Luthero maximopere r) probata.

q) vid. *T. II. Luth. Altenb. p. 15. & 21.*
r) vid. *Luth. Epp. T. II. Ep. IX.*

Eodem consilio monitor Luthero extitit, ut coeptum urgeret opus, & caussam veritatis contra adversariorum aggressiones fortiter tueretur, misso inter alia *Catharini* libro, cujus confutationem deinde Lutherus Linco s) nuncupavit.

s) vid. *Luth. T. I. Alt. p. 654.*

Verum his rebus Pontificiorum in se concitavit odia, per quos impulsus Caesar t) Augustinianis in Belgio, ne ad comitia ordinis a Linco indicta irent, severissime edicebat.

t) vid. *Luth. Epp. T. II. f. 70. b.* conf. *f. 79. a. superiores & inferiores partes terrae tibi prohibitae sunt.*

Praenunciaverat viro fatum hoc Lutherus, u) eo quod evangelium, non leges ordinis, doceret.

u) T. II. Epp. f. 56. a. ad Guttelium scribens.

At vero, ille propterea nequaquam statione decessit, hastamue aut clypeum abjecit, sed tanto acrius, quod DEI esset, quaerere, & susque deque habitis superstitiosorum clamoribus soli Christo servire coepit. Cujus quidem occasionem vehemens populi Altenburgensis in puriorem doctrinam studium mox suppeditavit: qui quum frustra a Canonicis (quorum alias fuisset, pro suo jure populo in tempore de idoneis doctoribus prospicere) verioris disciplinae praecones exspectari viderent, ex ipsa re capientes consilium, Gabrielem Didymum per senatum arcessiverunt, per quem pleniore modio verbi divini fierent participes. Displicuit factum non tantum Canonicis, qni sibi jus suum eripi fremebant, Didymoque, quas poterant, ciebant molestias; sed & Friderico Septemuiro Imperii; vel quod Canonicos offendere vereretur, vel quod aliquid sinistrae suspicionis adver-

versus Didymum, tanquam non ita pridem tumultus Carolostadiani sociū, apud animum ipsius resederat, neque Lutheri literis x) plane evelli posset.

x) vid. *Luth. T. II. Alt. p. 153. & T. II. Epp. f. 50.*

Suffecit ergo Gabrieli Princeps y) Venceslaum nostrum, qui vero tantum abest, ut alio amoto locum sibi vacuefieri laetaretur, ut ipse potius ultro & liberaliter Gabrieli amplissimum z) perhiberet testimoniū, indeqve Lutherus denuo de eo retinendo, sed incassum, cogitaret.

y) vid. *inf. ep. V.*
z) vid. *Luth. Epp. T. II. f. 88. b.*

Quanto autem plus damni Altenburgenses in discessu Didymi fecisse existimabat, tanto ipse ad explendas omnes officii partes incumbebat acrius, nec odio hominum se a suscepto veritatis patrocinio patiebatur deduci. Sacris aedibus publicis ab initio inimicorum invidia exclusus sub tilia primum, ante hospitale majus, deinde in aedibus civis cujusdam ad forum, verba fecit publice, donec in templum Franciscanorum, tandemque in

primarium, D. Bartholomaeo sacrum, aditus pateret. Ibi demonstrata verbisque confutata proximae aetatis inscitia ac fraudibus, meliori scientia imbuit populum, sacra etiam coetus DEI mysteria ad primae institutionis legem mature revocavit. Nam & A. cIↃ IↃ xxIII. in quadragesima *Sacramentum Eucharisticum sub utraque specie* petentibus quibusdam exhibere coepit: & anno sequenti formula *Baptismi* Germanica uti, a) a Luthero dictata.

a) vid. *Seckend. Hist. Luth. lib, 1. p. 214.*

Disciplinae item publicae curam gessit, eamque inter alia edito monumento, Cygneae typis excuso, **von Arbeit und Betteln / wie man solle der Faulheit vorkommen/und jederman zur Arbeit ziehen /** b) testatam fecit.

b) vid. *Schlegel. in vita Gegrg. Spalat. p. 83.*

Quin & ipse, ut se legibus Papae, ceterarumque humanarum constitutionum religione solutum reapse comprobaret; eodem A. cIↃ IↃ xxIII. die quarto post *Quasimodogeniti* c) uxorem Altenburgi duxit honestae gentis famaeque integrae

virginem, atque isto *glorioso vicariatu suo*, ut Lutherus d) jocabatur, *liberatus* est.

c) *Schlegel. l. c.*
d) *Luth. T. II. Epp. f. 99. 112. & 113.*

Nuptiis interfuisse Lutherum cum aliis viris Vitembergae primariis, ex hujus literis e) vero consentaneum est, qui &, si vera narrat constans apud Altenburgenses f) fama, sponsos solenni ritu consecravit, sed, propter metum a Canonicis, per cives armatos ex templo domum deducendos.

e) *Epp. T. II. f. 113. & 130. b.*
f) vid. *Seckend. l. c. p. 214.*

Neque tamen capiebat dotes viri Altenburgum, quod Lutherus g) praesenserat.

g) *Epp. T. II. f. 88. b. Venceslaum illic durare non praesumo.* Caussam tangit *f. 296. b.*

Nam quum A. cIɔ Iɔ xxv. quam maxime de constituenda firmius urbis ecclesia cogitaret, atque ea de re cum Luthero consilia conferret, h) ecce propensissimae in se voluntatis significationem a Norimbergensibus fieri cernit, qui ipsum in sacris plenius reparandis sibi optabant adjutorem.

h) vid. *Epp. Luth. T. II. f. 271.*

Sonuerat quidem inde ab A. cIↃIↃXXII. in illa urbe, ocello Germaniae, vox purior Evangelii, Osiandro, Lutheri discipulo, praecone constituto; annoque proxime praeterito cIↃIↃXXIV. Praepositi ad D. Sebaldi & D. Laurentii rationes sui consilii & scripto & voce, habita coram senatu cum adversariis sententiarum collatione, i) reddiderant: visum tamen est, non parum momenti in eo fore, si huic negotio perficiendo Venceslai auctoritas, industria, fides, prudentia accederet.

i) vid. *Seckend. l. c. p. 240. & 299. sqq.*

Quamvis itaque Princeps Elector eum e terris suis discedere k) aegrius ferret, quoniam tamen Lincus & pristini Norimbergensium amoris reverentia ipsis se obligatum crederet, & ampliores laborum successus in urbe hac speraret, respondit illorum desideriis, atque stabile deinceps domicilium ibi locavit: quum praesertim Altenburgensibus videret, praefecto sacris Georgio Spalatino, socioque ei Eberhardo Brisgero adjuncto, post discessum suum satis fore prospectum.

k) *Luth. T. II. Epp. f. 294.*

Ne-

Neque enim prius abiit, quam Spalatinus, habito publice sermone, prima cepisset sacri muneris auspicia: quibus peractis ipse coetui vale dixit, atque una cum Spalatino a senatu l) convivio exceptus, bonaque cum gratia dimissus, magnum sui desiderium reliquit. Factum id mense Augusto A. cIↄ Iↄ xxv.

l) *Schlegel. ad Vit. Spalat. p. 83.*

Sed nec minus desideratus Noricis ejus adventus fuit, qui eum statim Hospitali, sacris peragendis, praefecerunt, m) adjunctis Thoma Venatorio & Volfgango Volprechto, olim Augustinianorum Priore.

m) *Spalatinus ex literis Linci, ap. Schlegel. in Vita Spalat. p. 226.*

Et prima quidem haec fuit occasio, qua senatus auctoritatem, in gubernandis rebus ecclesiasticis Principibus civitatum divinitus tributam, vindicaret sibi postliminio, atque re & facto ipso exerceret. Primus enim hic gregis sacri *Pastor* fuit, a senatu n) constitutus, quum priores, etiam Osiander & socii, Praepositorum arbitrio essent electi.

n) *vid. Seckend. Hist. Luth. lib. I. p. 301.*

Hic latissimum ingressus bene agendi campum munus susceptum ornare quavis ratione studuit sedulo, & quantum plerisq; Collegis suis o) aetate atq; auctoritate anteibat, tantum etiam exemplo & doctrinae & integritatis p) antecellere contendit: talemque se ubique praestitit, qui bonis omnibus multo esset gratissimus.

o) vid. *inf. ep. XV.*
p) huc spectat admonitio, *Venatorio* proposita, cui ille respondet *inf. ep. LV.*

Inter varia Collegarum ingenia, in quibus Andreae inprimis Osiandro praefervidum obtigerat, ita sibi & illis moderatus est, ut adjutores eos atque amicos in opere Domini haberet, & arctius, qua liceret, inter ipsos astringeret vinculum concordiae. Neque enim facile signa alicujus simultatis eorum cum Linco deprehendas, multa vero, vel in paucis his epistolis, reverentiae & amoris. Parum quidem aberat, quin A. CIↃIↃXXXIX. Osiander propter publicae absolutionis formulam cum Collegis acrius collideretur, qui & alioquin ingenio indulgebat, atque opinionibus semel animo conceptis inhaerebat tenacius: at nulla Linci

in

in hoc certamine mentio ſpeciatim fit, quin, ſi ceteram viri vitam ſpecto, conciliatorem pacis & arbitrum potius, quam pugnatorem egiſſe credidero. Ipſe ſua perfeciſſe videtur induſtria, ut Oſiandro atque aliis eccleſiarum Noricarum miniſtris integrum eſſet, ſine majori civium detrimento intereſſe communibus de cauſſa ſacrorum deliberationibus, alibi locorum inſtitutis, nec non aliis civitatibus operam ſuam aliquandiu addicere. Sane Venatorii ſtudium Rotenburgenſi ad Tubarim eccleſiae impenſum cives iſti, quamdiu veritati divinae ſuum apud ipſos pretium conſtabit, (quod DEVS jubeat eſſe perpetuum!) grati celebrabunt. Impertiri autem ſe vir hic eximius non potuiſſet vicinis, niſi auditoribus ſuis in Collegae Linci pietate atque induſtria ſatis praeſidii & adjumenti eſſe cognoviſſet. Quod enim Venceslaus noſter non ita frequenter apud exteros in negotiis publicis, atque alii nonnulli eccleſiae Norinbergenſis adminiſtri, verſatus eſt, nequaquam ita eſt accipiendum, ac ſi rebus agendis minus idoneus fuerit, aut parum animi vel fidei attule-

rit

rit ad caussam: sed quod Patres populusque ipsum, quasi sacrum quoddam Palladium, in urbe omnibus modis retinendum censerent, quippe cujus religione, assiduitate, prudentia, eruditione, ceterorum solarentur absentiam. Apparuit hoc, quum A. CIↃIↃ XXXIX. ab Heinrico Saxone ad sacrorum ritus, in provinciis, morte fratris Georgii sibi hereditario jure obvenientibus, constituendos q) vocaretur.

q) *Sekendorf. Hist. Luth. lib. III. p. 219.*

Quamvis enim Norimbergenses quam optime vellent Saxonibus, ipsorumque caussa nihil non facturi viderentur, Lincum tamen a se amittere noluernnt: quem paullo ante in Francofurtensi conventu r) inter praecipuos ecclesiarum evangelicarum propugnatores nominatim laudatum noverant, literariis adversariorum copiis opponendum.

r) *Sekend. l. l. & p. 205.*

Quid, quod Elector Lutherum ipsum de ineundis concordiae rationibus in capitibus doctrinae controversis consulens, ita ejus & collegarum sententiam poscit, ut

&

& cum aliis, Linco ſ) nominatim, hac de re agere jubeat?

ſ) *Sekend. l. c. p. 257.*

Ipſi quoque Norimbergenſes, ubi in urbe de ſacris eorumque defenſione agendum erat, plerumque prae ceteris Linci & Oſiandri opera utebantur, velut quando cum Moshamo t) de inſtauratione ſacrorum, recte ne an ſecus inſtituta foret, erat diſceptandum: ſemel etiam extra urbem ad conventus Hagenoicum a) & Vormatienſem ablegarunt.

t) vid *Sekend. in App. Ind.* a) vid. quae *inf. ad ep. XXIII. & XXIV.* notata.

His autem curis atque laboribus domi aſſidue intentus, atque ſimul in iſta urbis celebritate, tanquam in ſpecula, ad inſpectionem atque procurationem communis eccleſiarum ſalutis collocatus, abunde invenit, quod ageret, neque otium habuit, quo ad alia abuteretur. Non itaque ipſi licuit multa ſcripto complecti, atque hac ratione ad majorem inter poſteros famam graſſari; ſed hoc potius, quod in manibus erat, ſibi agendum eſſe, jure exiſtimabat. Neque tamen ex nume-

numero virorum, editis ingenii monumentis de publica re bene meritorum, plane eximendus est. Atenim praeter *Papae Cerimoniarium*, cujus aliquoties in epistolis nunc editis fit mentio, *scholia* scripsit *in divinos Mosis libros*, quae a Luthero praefante e) commendata A. cIↃ IↃ XLIII. lucem viderunt.

u) vid. *Luth. T. VIII. Alt. p. 303.*

Propius tamen factum est nihil, quam ut posteriori hac aetate prae aliis, majori scriptorum numero notioribus, praeclara viri merita obliterarentur fere, nomenque ut obscurioris cujusdam homuncionis nonnullis x) haberetur.

x) Hoc sensu videtur eum vir quidam celeberrimus, Venceslaum *quendam* Lincum appellare.

Sed praeclarius de eo existimarunt, quibus dotes viri cognitae magis perspectaeque fuere, cum Proceres reip. suae, tum alii societate caussae & studiorum aequales. *Bilibaldo Pirckeimero*, *Hieronymis Ebnero & Baumgartnero*, (at quibus viris? quos certe columina patriae fuisse, grata fatetur posteritas) quo in pretio fuerit, vel hae, quas nunc publico damus, literae

literae satis doceant. *Lazaro* item *Spenglero*, pio illi ICto, quam familiaris fuerit, variae Lutheri epistolae y) ostendunt.

y) *T. II. f. m. 332. 369.*

Nec minus eruditis hominibus placuit. Nam cum statim post ipsius reditum Senatus captum paullo ante consilium de aperiendo ludo literario exequeretur, advocatoque in partem curarum Melanchthone, honestis stipendiis Ioach. Camerarium, Eobanum Hessum, inter literatorum principes, in suo quemque genere, merito suo numerandos, aliosque, conduxisset, hi libero & acri judicio viri & Lincum ubique faventem habuere, & ipsi ex omni sacerdotum coetu Lincum praecipua veneratione semper sunt prosecuti. *Eobani* de ipso judicium z) non sine egregia Linci laude *Camerarius in vita illius* expressit, &, dum amici sententiam retulit, descripsit suam.

z) vid. *Camerar. & Melch. Ad. in vita Eobani.*

Instar vero ceterorum omnium unus esto *Lutherus*, acerrimus ingeniorum existimator, qui Linci amicitiam semper

fecit maximi, & quaecunque, pro mole impendentium sibi negotiorum & locorum intercapedine, potuit, cum eo communicavit. Testantur id literae ad Lincum scriptae, atque ab *Aurifabro* una cum aliis collectae (ex quibus tamen longe plura de Linco haberemus, si vel Aurifaber perficere atque ad umbilicum perducere institutum opus potuisset, vel Bibliotheca Linci, unde, quod Aurifabro deest, potuisset sarciri, post ejus mortem non adeo foede fuisset disjecta.) Modo enim narrat ei Lutherus, quo in loco vel res suae privatae vel publicae sint sitae; modo de suis laboribus atque institutis ipsum edocet: modo de variis argumentis sententiam suam roganti dilucide respondet; eaque omnia non sine singulari amoris testificatione. Inprimis de scripturae divinioris editione Germanica crebro a) agit, procul dubio, quod ardentissimo illius desiderio teneri Venceslaum, maximamque in ea voluptatem capere intelligebat: itaque in re optat eum alicubi adjutorem sibi.

a) vid. *Luth. Epp. T. II. f. m.* pp. 332. conf. inf. ep. XII.

Nec

Nec satis digno praeconio celebrari possunt literae b) d. VIII. Sept. A. clↃIↃXXX. Coburgi ad Lincum exaratae, quibus heros ille rationem suae reddit interpretationis, calumniasque adversariorum refellit.

b) *T. V. Altenb. p. 268. Franz. de Interpr. S. scr. p. m. 959.*

Eidem Linco elicienti debentur & aliae Lutheri, d. XIV. Iul. A. clↃIↃXXVIII. c) scriptae, bonae frugis plenissimae, in quibus, de suppliciis Pseudoprophetarum, de furiosis & tentatis quid sibi videatur, edisserit.

c) in *T. VIII. Alt. p. 588.* relatae sine die & consule, qui intelligitur ex *T. II. Epp. f. 381.*

Maxime autem, quantum ei Lutherus tribuerit, inde elucet, quod libere adeo cogitata & interiores animi recessus illi aperuit: quod quum saepe alias, tum sigillatim de Georgio, Saxoniae Duce, fecit, diversis propterea hominum judiciis varie jactatus. Vnde de eo pluribus agere, non fuerit inconveniens. Scilicet quum Otto Packius, Georgii Consiliarius de federe a Pontificiis Principibus contra

Evan-

Evangelicos clam inito, Cattorum Principem submonuisset, at vero paullo post calumniae argueretur, Lutherus conceptam in animo suspicionem tam cito evellere sibi non potuit, sed eam omnem scriptis literis in sinum amicorum, d) speciatim Linci, effudit, in consilia simul Georgii, DEO & vero adversa, graviter invectus.

d) Extant enim T. II. Epp. Lutheri etiam ad *Fridericum Abbatem* & *Amsdorfium* epistolae, in eandem sententiam.

Eas Lincus pro concione recitat, facitque aliis describendi copiam. Quibus accidit, ut in manus ducis venirent tandem, qui illis gravissime commotus a Luthero severe qvaerit: an agnoscat pro suis? Hoc autem, praeter jus & aequum sibi de ea re negotium exhiberi, respondente, Heidius, qui Georgio a secretis erat, Norimbergam mittitur, exemplar ipsius Lutheri manu exaratum, si posset, ablaturus, vel certe coram inspecturus. Is Scheurlio persvadet, literas istas a Linco postulet, sibique tradat. Lincus nil primum suspicari mali: at quum literas intelligeret in Heidii esse manu, animo angi,

gi, graviter cum Scheurlio conqueri, denique non conquiescere, donec ab eo reciperet, & flammis deleret. Sed non ita facile deleta erat ex animo Georgii offensa, qui longo satis libro de federis istius suspicione se purgans denuo, Luthero simul ejusque doctrinae acerbissime insultabat. Ast eo ipso adversarium in se Lutheri scriptum provocavit, *de literis furtivis*, quo hic, nullum Georgio in literas istas ullo nomine jus esse, contendit e) multis.

e) vid. de his *Sekend. lib. III. p. 99. sqq.*

Non defuere etiam ex nostris, qui in hac caussa vel Lincum, vel Lutherum, vel etiam utrumque varie accusarent: Lincum quidem imprudentiae, quod f) literas privatim scriptas publicarit, easdemque in manus Secretarii Dresdensis passus sit venire; Lutherum vero calumniae & injuriarum, quod g) objectum de federe satis jam confutatum reduxerit in scenam, indignis conviciis Ducem

C one-

f) vid. *Sekend. l. c.*

g) vid. *Io. Strauchius*, Linci nostri municeps, *differt. Exotér. IX.*

onerarit, &, quum manifestus teneretr calumniae, mera verba, sine ullo argumentorum pondere, reposuerit.

Ast nec desunt vicissim, quae ex re & vero pro utroque dicantur. Lincum excusat sollicita pro ecclesiarum salute cura, qua ductus communia ecclesiae pericula indicare suis, precumque exemplo praeire, suum esse duxit: &, quoniam seipsum Lutheri literis ad piam illam sollicitudinem magis excitatum, fideique exemplo confirmatum esse sentiebat, parem inde & apud alios fructum exspectavit: ratus, quae intra coetum ecclesiae, unius instar corporis jure conjunctum, ad communem salutem fierent, nec laedere alios posse, nec ab iis, qui membra coetus esse vellent, alio abripi, multo minus in fraudem sociorum disseminari debere. Optime certe cum rebus nostris ageretur, si ista esset concionum publicarum conditio, ut, qui professione unius doctrinae, & societate coetus continentur, ea quoque animorum, fidei atque amoris unitate DEO sibique invicem

ad-

adhaererent, qua communibus ecclesiae rebus communibus etiam subvenire consiliis, ac publice universorum opem poscere sibique polliceri liceret. Sed haec alias. Praeterea illis temporibus multo simplicius atque apertius, etiam in concione media, agebant, quam nostrorum vel timiditas, vel aurium judiciiq; teneritudo dicam, an superbia? toleraret: ut Lincum adeo, si qua maxime imprudentia lapsus esset, mores illius aetatis magnopere excusent. Neque ipse etiam Georgius dicam hoc nomine viro scripsisse legitur. In Neïdii autem negotio, palam est, si qua intercesserit culpa, non tam Linco imprudentiae, quam Scheurlio animi minus sinceri atque aperti impingendam: quem tamen & ipsum forsan simulatione Heidii deceptum, non nisi bona fide egisse, credere multo malim. Quanquam Luthero scrupulus inde injectus est, h) ut subdubitaret de Scheurlii integritate.

h) vid. *Epp. T. f. m. 390.*

Pro Luthero vero faciunt jura amicitiae,

quae non violat tantum, sed prorsus tollere videtur, si quis in literis amici ad amicum liberam vocem emitti noluerit. Nam quis expetere hominum loci intervallo disjunctorum amicitias & colere cum fructu possit, si communicatio curarum & sensuum animi alieno subjaceat arbitrio, & secretioribus intimorum vocibus, publici criminis nota inuratur? Habet quidem ista res, fateor, certos limites, ne hominis & boni civis officia negligantur, aut libidini privatorum reip. salus sit exposita: Sed illi tamen ita sunt describendi, ut altera ex parte itidem salvi maneant humanitatis, fidei, necessitudinis termini. Quod si illud momordit Ducem, literae quod emanarunt in vulgus, eoque laesa videbatur dignitas sua, jure cum Linco prius, per quem, inscio Luthero, vulgatae sunt, quam cum Luthero ipso, experiendum ipsi fuisse, aequos judices arbitror pronunciaturos. Quod quia facere noluit, sed recta in Martinum impetum convertit, neque magistratus auxilio, verum sua auctoritate in eum usus est, iracundia potius & vete-

& veteri odio, quam jure & ratione ductus fuisse non immerito existimabitur. Neque adeo est mirandum, hominem imperterriti animi, & sub alius Principis imperio ac ditione constitutum, liberius respondisse, &, hac ratione se ad agnoscendas vel negandas literas jure adigi non posse, credidisse; praesertim bene sibi conscium consiliorum, semper ad pacem atque otium, etiam in hac Packiana caussa, i) succensentibus propemodum Cattis, unice spectantium.

i) vid. *Seckend. lib. II. p. 97. sqq.*

Quod vero fedus illud *non fuisse merum nihil*, dixit, privatum est privati hominis de re omnium sermonibus celebrata judicium; quo si quis vi, vel lege lata, aliis interdicere se posse crediderit, certe & potestatis humanae fines excedit, & nihil, nisi irriti consilii pudorem, inde referet. Neque temere suspicatur, sed affert suspicionis suae argumenta: *monstrum esse fedus illud*, i. e. nec plane se ei fidem adhibere posse, nec prorsus denegare; quod ei non facile vertet vitio,

qui artes Paekianas, quibus fidem sibi facere conatus est, praesentes item justi metus caussas k) cognoverit: quum potuisset contingere, tali de federe cogitasse nonnullos[l], indeque vel ad uberiorem deliberationis materiam, vel ad praeparationem consiliorum quædam ejus generis descripta fuisse, utut nullum deinceps exitum res haberet: *orbi* etiam *constare* dicit, *quo animo dux Georgius aliique in doctrinam sint evangelicam*, l) a quo hujusmodi consilia nequaquam sint aliena.

k) vid. *Sekend. lib. II. p. 94. sqq. 97. Luth. Epp T. II. f. 380. a.*
l) vid. *Luth. Epp. T. II. f. 380. b.*

Agit itaque privatus apud privatum, idque non nisi ex gravi praesumptione, quae satis eum a calumnia defendat. Quod vero *stultissimum stultum*, Graeca voce, Georgium appellaverat, id quidem dure sonat in auribus hominum, ad seculi mores, sapientiaeque speciosae magis quam solidae rationes se suaque & aliorum omnia exigentium, sed summi judicis, infinitaeque sapientiae decreto in

in eos jure convenit, qui humana prudentia, & praejudicatis opinionibus fascinati sapientiam DEI agnoscere recusant, & supremae veritati atque potentiae consiliis viribusque suis obicem ponere, prudentes vel imprudentes, conantur. Quo quidem in numero Principem hunc, alias in civili reip. administratione laude sua nequaquam defraudandum, a Luthero repositum fuisse, constat. Sed nimis tenuiter & infra dignitatem de Martino nostro censere videntur, qui in ista sacrorum caussa non ultra privati hominis modum de eo existimant. Is enim ad tantum opus a DEO singulariter excitatus, summo animi robore, aliisque dotibus eximiis instructus, quum in hac caussa DEI agit, nequaquam ad mensuram, qua vulgo sunt homines, est redigendus, sed DEI potius agnoscenda benignitas & virtus, quae heroem hunc Pontificis & Curiae Romanae, quin summorum aeq; ac infirmorum odio, insipientisque sapientiae tot offensionibus, velut murum quendam aheneum, objecit, cui

- dum fragili quaerunt illidere dentem,
offendant solido.

Ven-

Venceslaus quidem noster quo illa Lutheri loco habuerit, in *literis ad Electorem* ostendit, ubi non sine numine scripta, & pro pia iustaque notatione atque animadversione in Georgium habenda m) censet.

m) apud *Sekend. l. c. p. 99.*

Atque huc bonam partem referas, quod plerumque ne amicis quidem, humanae sapientiae cautionum nimis amantibus, dicta & facta viri satis probarentur. Quemadmodum in hac caussa de illo *Melanchthon:* n) *Nunquam*, inquit, *magnopere videre studuit, quid hominum iudicio deceat, idque certo quodam consilio, vel fato etiam.*

n) in *ep. ad Camer.*

Sane, qui Principi, ut cum Luthero in hoc certamen descenderet, auctores fuere, nequaquam bene ei consuluisse videntur. Veniam dabis, Lector, quod, dum nostros tueor, aliquanto longius, quam volui, fluxit oratio. Videbantur enim haec, cum Lutheri, tum vero ipsius Linci caussa, cui hac ex re labes aliqua affri-

cari

cari potuisset, non esse negligenda. Vt ut vero ista se habeant, illud certo constat, nec ista, nec alia ulla occasione amicitiam inter Lincum & Lutherum olim coalitam vel rescindi, vel labefactari potuisse, sed eodem candore & fide usque ad extremum perseverasse. Cujus unum adhuc specimen in medium adduxisse sufficiat. Exarserat inter doctores coetuum a superstitione Romana discedentium principes gravissima de sacramentis N. T. controversia, quae maximo animorum motu agitata veritatis divinae incrementis ulterioribus summopere officiebat. De ea sopienda Bucerus quidem & alii multum laborabant, sed non statim eo, quo optaverant, successu. Lincus autem, quum huic negotio humeros supposuisset, non tantum declarationem sententiae suae a Luthero satis perspicuam ac lenem obtinuit, o) sed ea quoque gavisus est felicitate, ut his consultationibus ad propiorem animorum concordiam Svinfurti A. cIↃIↃXXXII. aditum patefactum esse cerneret, tandemque in formam, a Luthero descriptam, A. cIↃIↃXXXVI. superio-

perioris Germaniae Theologos plenius consentire. Atque ex eo, quantum apud Lutherum Linci valuerit auctoritas, facile colligitur.

o) vid. *Luth. T. V. Altenb. p. 568.*

Restat, ut de vita Venceslai nostri domestica aliquid addamus. Quum vitae monasticae nuncium misisset, pio conjugio animum applicuit, honestam civis Altenburgensis filiam domum ducens, quae ipsi, quantum constat, duas filias, alteram *Margaretham* p) A. cIↄ Iↄ XXVII. alteram q) anno sequenti, filium deinde *Salomonem* r) peperit: quorum quae postea fuerit fortuna, mihi incompertum est, nisi quod filium, Patris voluntate literarum studiis s) devotum, vel praematura morte ereptum credo, vel animum ad aliud vitae genus, Patre mortuo, applicuisse: neque enim alias libros viri adeo negligenter paucis post ejus mortem annis haberi potuisse, mihi fit credibile.

p) *Luth. Epp. T. II, f. 342. a.*
q) *ibid f. 376.*
r) vid. *inf. epp. Plateani & Besoldi.*
s) vid. *ibid.*

Cete-

Ceterum quum Norimbergae ſatis feliciter & laute vitam degeret, t) non ſibi tantum, ſed DEO potiſſimum & reip. tum & amicis atque pauperibus vivere decrevit.

t) vid. *Spalatini epp.* a Schlegelio *editae, p. 226.*

Vnde poſt diligentem muneris publici adminiſtrationem, amicis officia cum fide praeſtitit: & opibus Noricorum, aliorum vel ſuccurrit inopiae, vel commoditati amiciſſime proſpexit. Hinc toties Lutheri u) hortum variis inſtruxit ſeminibus; valetudini item & animi refocillationi miſſis tornis ſuccurrit.

u) *Luth. Epp. T. II. f. 292.* & alibi. Compara *ep. XII. inf.*

Nec ipſe ſuam operam amicis approbaſſe contentus, alios quoque iis ornandis ſibi ſocios aſcivit, in quibus Luthero Fridericum, ad D. Aegidii Abbatem, amicum conciliavit, a quo ille aeneum horologium, & alia x) accepit.

x) *Luth. l. c. f. 332. b. 376. b. 381.*

In aedibus quoque ſuis tutum miſeris rece-

ceptum praebuisse, Io. Rosae y) exemplo constat.

y) vid. inf. ep. XLIV.

Nec minus, quos amici commendabant, qua re cunque poterat, adjuvit. Vnde & passim hae literae vel ipsius fidei tradunt z) miseros, vel, quantum ejus commendatio profuerit, a) declarant.

z) vid. ep. XIII. XV. XXXVI. LVI. LXV.
a) vid. ep. LXVII.

In quotidiana vitae consvetudine comis amicis, gravitatem temperare humanitate b) noverat.

b) vid. ep. LXX.

Si quid a laboribus publicis & cura suorum ipsi superesset otii, amicis & rei hortensi c) videtur tribuisse.

c) Neque enim frustra est, quod Lutherus toties ab ipso petit semina.

Tandem quum mortuo Luthero civili bello conflagraret Germania, & res Evangelica in ultimum adducta esset discrimen, Venceslaus noster, annis, meritis, curisque gravis, missionem a supremo

vitae

vitae noſtrae Imperatore, DEO O. M. impetravit, atque diſceſſit ex hac vita A. C. cIↄ Iↄ XLVII. annum agens fere ſexageſimum quintum aetatis. Corpus Chriſtiano ritu Norimbergae, non ſine ſuorum & bonorum omnium luctu, ſepultum eſt, pietatisque & memoriae ergo ſequens lapidi inſculptum monumentum:

Auctorem vitae, dum viveret, atque ſalutis
Aſſeruit, docuit, glorificavit, habet. d)

d) Ex Selneccero Sekend. lib. I. p. 301.



Vari-

Variorum epistolae ad Venceslaum Lincum.

I. Bilibaldi Pirkheymeri.

Argumentum.

Gregorii Nazianzeni orationes aliquot a se ex Graeco in Latinum translatas sermonem Linco dedicat, suumque in ea reinstitutum contra sinistra malevolorum judicia tuetur, interpretationis vero agnoscit difficultatem.

Reverendo Patri, Vinceslao Linco, Sacrae Theologiae Doctori, ac Augustinensium Vicario dignissimo, a) Bilibaldus Pirkheymherus.

En tibi, Pater Reverende, Divi Gregorii Orationes; quas ni tantopere efflagitasses, diutius pressissem. Verum memineris, & jubentis & obsequentis peri-

a) Vitam ejus scripsit *Rittershusius*, atque ex illo repetiit *Melchior Adamus in Vitis ICtorum*.

riculum esse commune. Nosti enim, quam moleste quidam ferunt, cum Laicos, ut appellant, sacra manibus versare cernunt, tanquam committatur piaculum, si Christianus Christiana tractare audeat. Accedit his Juris-Consultorum quorundam reprehensio, quoniam, veneranda & fructifera legum majestate neglecta, ad sterilia haec, &, ut ipsi contendunt, inania diverterim studia, cum nec interim amici boni consulant, quod tot curas, cum publicas, tum privatas, etiam literarum degravem incommodo, ut obiter criticorum contemnamus latratus. Adde, quod haec non tam eruditis, quam sacris scripta sunt virginibus, nempe b) Charitati & Clarae, sororibus meis svavissimis. Qua propter longe tutius fuisset, tacendo invidiam effugere, quam sua sponte grassantem ultro irritare. Verum cum ita tibi videatur, age, contempto livo-

b) Plures enim Pirckeimero fuere sorores, quarum una, Iuliana, Martino Geudero nupta, reliquae in sanctimonialium numerum adscriptae, quarum hic habes nomina. Latinam calluisse linguam apparet, ut plures illo aevo virgines, in quibus Catharina, Vdalrici Zasii, & Anna, Philippi Melanchthonis filia.

l vore, ratem procellis committamus: forsitan aequus lector conatum meum laudabit, aut saltem non reprehendet. Caeterum de Viri sanctitate, eruditione ac eloquentia, nil scribere attinet, cum omni aevo ob virtutes innumeras major sit habitus, quam cui invidia possit nocere humana. Hoc vero haud mihi praetereundum erit, longe me labore minori, imò felicius, ni fallor, Demosthenis orationes totidem vertere potuisse, quam vel umbram quandam Gregorianae assequi facundiae. Id verum esse experietur, quicunque in eandem descenderit palaestram. Nil igitur mirum, si quaedam duriora, & etiam obscuriora videbuntur, cum Latinis non eadem liceant, quae Graecis, & Auctor ipse multiplici verborum novatione * sit varius, quam sententiarum gravitate insignis. Quod si aemulis haec nostra displicuerint, fingant me interim potasse, aut etiam nucibus lusisse. Alius majora ac splendidiora in DEI templum afferat, ego, quod potui, feci, non ignarus, bonitatem di-

vi-

* Omissa videntur : non minus.

vinam animum etiam, ubi vires deficiunt, paterne reſpicere. Bene vale, Pater obſervande. Nurmbergae ex aedibus noſtris, IV. Non. Mart. Anno 1521.

II. Joannis Staupitii.

Argumentum.

Queritur, ſibi a Leone X. P. R. per Cardinalem Salisburgenſem injungi, ut doctrinam Lutheri damnet, ſuamque deplorat imbecillitatem animi, quam a Linco ſublevari petit. Simul duos ſocios commendat.

Vinceslao Linco fidelis filius a) Jo. de Staupitz, Chriſti ſervus.

Salutem cum ſui commendatione. Repleta eſt terra noſtra b) Martinianis

a) De Staupitio paſſim *Lutherus in Tomis & Epiſtolis*, *Sekendorfius* item *in Hiſt. Luth. lib. 1. §. XXXVII. Add. 11.* & alibi, *Melch. Adamus in Vitis Theologorum Germanorum, p. m. 8. ſqq.* In anno mortis errant *Aurifaber in Hiſt. anni 1526. T. III. Alt. p. 658. b.* & *Melch. Ad. p. 9.* ex Sekendorfio corrigendi.

b) i. e. de Martino Luthero, ejusque doctrina & inſtituto ſparſis.

rumoribus, & oculi nostri suspenduntur, exspectantes, utra vincet, potentia an veritas? sed ad nos quoque rugitus c) leonis pervenit, quaerit, quem devoret. Injunctum est siquidem d) Reverendissimo Cardinali, ut me cogat asserere, quod e) Martini articuli sint respective haeretici, erronei, & offensivi piarum aurium; abnegareque eosdem coram notario & testibus. Sed quia, quae non asserui, revocare non valeam, neque abnegare, quae mea non sunt, supplicavi Domino Cardinali, quantumvis me excusatum reddat. Quid futurum sit jam, non

c) Eleganti ἀμφιβολίᾳ & Leonem X. P. R. notat & architectum consilii istius, Diabolum innuit, animarum saluti per haec Romanae Curiae destinata insidias struentem.

d) Is erat Matthaeus Langius, familia patricia Augustae Vindelicorum natus, Episcopus primum Gurcensis, postea Archi-Ep. Salisburgensis, gratia apud Maximilianum I. Imp. plurimum florens, quem ubi cum Julio II. P. R. in gratiam reduxisset, ab hoc inter purpuratos Patres receptus est.

e) De consilio hoc Papae, & Staupitii responso, videantur, quae ad ipsum Staupitium & Spalatinum scripsit *Lutherus T. 1. Epp. ep. 211. & 212.*

non constat mihi. Haec de iis, quae me contingunt, ad patrem scripsisse sufficiat, uno duntaxat adjecto. Videbar abundantius frui pace, & supervenit perplexa ista tentatio. Volare non valeo, quia neque doctrina, nec vitae sanctimonia fulgeo: veruntamen veritatem deserere summum nefas existimo. Calicem igitur salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Et tua Reverenda Paternitas adsit mihi consilio & auxilio. Martinus ardua coepit, & magno spiritu, divinitus illuminatus, facit: ego autem balbutio, & parvulus à lacte opus habens. Valeat tua Rever. Paternitas, & nos f) zum finstern Stern in culo mundi ne deseras. Salutant te g) concaptivi mei, Patres Mayer & h) Beßler, cupientes videre faci-

f) Ita pro more suae aetatis. Quod saeculi nostri aures vel delicatiores vel purgatiores vix ferrent.

g) i. e. in eodem haerentes monasterio, iisdem pressi conscientiae angustiis. Neque n. Staupitius in carcere fuit.

h) Est hic Georgius Peslerus, cujus etiam ep. 4. mentio fit: postea Praepositus Parochiae S. Sebaldi Noribergae.

em R. V. P. & simul gustare i) vinum, quod & quale Salzpurgae melius inveniri poterit, sed & adversa tecum aequanimiter ferre promittunt. Ex Salzpurga 4. Jan. 1521.

i) Cujus Salisburgi copia. Id fastidiens Conradus quidam Polonus episcopatum Salisburgensem repudiavit seculo decimo tertio, ob cerevisiae defectum. *Cromerus.*

III. Ejusdem Staupitii.

Argumentum.

Consolanti se Linco gratias agit: Luthero, qui ipsius arguerat timiditatem, se respondere scribit, & quid Vormatiae fiat, exspectare. Nondum contra Lutherum egisse aliquid Salisburgensem. Tandem, si quid Vitemberga novi, de eo certior fieri cupit.

OBedientiam & Reverentiam pro salute. Iterum literis dignatus es consolari a) subditum tuum, Reverende

 in

a) Fuerat quidem Staupitius paullo ante Vicarius Augustinianorum generalis, Lincus autem non nisi Provincialis. Sed, A. M IↃ XX. mense

in Christo Pater; tribuat tibi IEsus meus gratiam pro gratia! Sed & prioris gratiæ memor, ago gratias, responsurus aliquando in humilitate spiritus. Quod literas aperuisti, jus tuum erat, nec me in minimo perturbat. Vtinam te coram omnia facere possem, ac te duce post Christum currere concederetur! Inhabitamus hic modicam speluncam, in qua P. T. R^dam^ videre cupimus. Verum si absque incommodo fieri nequit, jubeat P. T. quid velit: Ego cum his, qui mecum sunt, parebimus mandatis tuis obedientes. Respondeo Martino nostro, qui tecum sentiens b) meam arguit pusillanimitatem. Cum autem tu mihi Petrus sis, & alter Paulus, libens recognosco culpam, tametsi verbis contendere possem. Tribuat nobis sapientiam, qui Sapientia est, & robur spiritus, qui virtus Dei

Augusto, in solenni Ordinis conventu, munere Staupitius se abdicavit, succedente Linco. Vid. *Lutheri Epp. T. I. Ep. 171. 191. & 312.* Inde se h. l. Staupitius Linco subditum dicit, & ep. præc. filium.

b) Literæ Lutheri, de quibus hic agitur, habentur *T. I. Epp. Ep. 311.*

Deì eſt, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum. Nova apud nos non ſunt. Verum exſpectans exſpecto, quæ ex Wormatia futura venient. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis c) prorſus nihil contra Martinum hucusque in Diœceſi Saltzpurgenſi tentavit, ſperamusque, ita ſuperſedere in pace, donec fortiores in fide ac Evangelio bene paſti virum agamus. Rogo, ſi quid novi venerit ex Witenberga, participes nos facito. Nos quoque, quæ tibi ſunt gratiſſima, facere curabimus. Datum Saltzpurgae 5. Martii. 1521.

IV. E-

c) Præbuerat Archi-Epiſcopus hic Salisburgenſis, idemque Cardinalis, inter initia cauſſæ Lutheranæ nonnullis ſpeciem animi ab illa non alieni. Vnde & Lutherus A. 1519. cum Carolo Milticio agens eum cum Trevirenſi & Freiſingenſi (aut Numburgenſi, vid. *T. 1. Ep. 86.*) Præſule arbitrum nominatim legit: (vid. *T. 1. Ep. 97.*) & auctores ejus conſilii Fabianum a Feilitſch atque Spalatinum habuit, ut *ex epiſtola Lutheri MSpta* ad Fridericum Electorem data commemoravit *Sekendorfius Hiſt. Luth. lib. 1. p. m. 64.* Sed annis proximis, nihil boni Luthero a ſe eſſe exſpectandum, ſatis declaravit; Judicio Planitii, Legati Saxonici, jam A. 1524. Lutheranis infeſtus: & poſtea A. 1538. ſolus fere Præſulum, federi Noribergenſi, in Proteſtantes inito, nomen dedit. Vid. *Sek. lib. 1. p. m. 289. lib. III. p. m. 171.*

IV. Ejusdem Staupitii.

Argumentum.

Se ad Chiemum lacum agere nuntiat. Ernesti, ducis Bavariae, voluntatem in Lutherum laudat. A Linco invitatus, venire se posse negat. Schmansium commendat.

SAlutem & robur Spiritus, cum sui commendatione. Reddiderunt mihi literas Reverendae Paternitatis Tuae a) altera Dionysii in Chiemseh, ubi nunc b) exul ago, & tam erant mihi gratae, ut non possint facile gratiores fuisse. Videor enim mihi te solum habere superstitem patrem, qui mei curam agat, c) altero, proh dolor!

a) S. d. 10. Oct.

b) i. e. extra cœnobium Salisburgense, vbi alias vivebat. Forte minas Curiae Romanae veritus, aut invidiam amicitiae Lutheri, ex celebritate Salisburgensi recedere aliquandiu consultum duxit.

c) Lutherum intelligit, quem epistola etiam superiore cum Linco conjunxerat. Is autem tum, post comitia Vormatiensia, in arce Vartbergensi prope Isennacum, paucissimis negotii consciis, latebat.

lor! destitutus, cujus nec vocem audio, neque apicem video vnum. Consoletur eum Spiritus Domini, qui & retribuat ipsum nobis sui juris aliqvando! Verumtamen finem facio qverelis, quoniam voluntas Dei est. Stetit hic nobis cum d) Princeps Bavariæ, Ernestus, Pataviensis Episcopus, seu administrator, magnus valde & indeger Lutheri fautor.

Is, ni fallor, conversationem in illis, quae Lutheriana dicunt, pro deliciis amplectitur. Sunt & multi alii, quibus gloriosum est nomen Lutheri. Ex gratia vocaverat me R. P. T. ad se, pro quo gratias ago tibi, patrono meo & pastori in primis, deinde Venerabili Patri Priori, cujus charitas vulnerat cor meum: Reddat sibi DEVS mercedem copiosam! Ego quoque nihil libentius facerem, sed, qui modus

d) At postea idem hostis Lutheri acerrimus, ut ex iis patet, quae in Leonardum Keyser / neglectis variorum principum & Nobilium virorum deprecationibus, designavit; de quibus *Lutherus T. III. Altenb. p. 780 sqq.* & brevius *Sekendorf. Hist. Luth. lib. II p.m. 84.* Tantum interest, animi curiositate, an veritatis amore, quaeratur de vero.

dus faciendi sit, ignoro. Accedit e) Adventus Domini, & non est alius subintrans labores meos. Non timui valde, quando reliqueram Salisburgam. Reditus mihi gravior est, &, ut ajunt, periculosior. Sed scriptum est: Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Exivi persuasus, introibo fere coactus. Attamen cum leproso loquor ad P. T. Domine, si vis, potes me salvare. Venturus est in Norinbergam cum Reverendissimo Domino Cardinale Physicus electus, Doctor Schmansius, f) veritatis acerrimus indagator: quem R. P. T. commendatissimum facio. Dignus namque est, ut ametur. Nova apud nos nulla sunt te digna. P. T. Rev.da diffundat, si quid in se est consolationis, memor deserti: digneturque salvos dicere

R. P.

e) Stylo ecclesiastico sic appellat tempus, quo Adventus Christi publice celebratur memoria.

f) Videtur hic esse D. Ludovicus, quem *Lutherus T. 1. Epp. Ep. 211.* Staupitio scribens salvere jubet, & doctissime ad se scripsisse memorat.

Patrem g) Priorem, & Lectorem h) Pesserum, cum ceteris amicis & fratribus. Datum in Coenob. Chiemensi, 16. Oct. 1521. i)

g) Hujus Prioris mentio etiam fit in literis *Lutheri T. II. Epp. f. m. 75.* insertis, atque a *Sekendorfio* ex MSPto denuo in *Hist. Luth. p. m. 48.* editis. Qui tamen in eo falsus est, quod Venceslaum ipsum Priorem hunc fuisse putavit, quod his, quas nunc edimus, literis facile refellitur. Nomen viri docent *epistolae Spalatini*, a Schlegelio editae, *p. 226* esse Wolfgangi Volprechti: mortuus est 1528. vid. *T. II. Epp. Luth. f. m. 376.*

h) Idem videtur esse, cujus & supra ep. II. facta mentio.

i) Post has literas Staupitius videtur sensim a Lutheri caussa factus fuisse alienior, forte turbis Vitenbergae absente Luthero motis, aliisque nonnullorum factis offensus. De eo certe Lutherus jam sub finem anni 1522: Literas Staupitii non intelligo, nisi quod Spiritu inanissimas video; ac non, ut solebat, scribit. Dominus revocet eum! *T. I. Epp. f. m. 98. a.* Alius epistolae Staupitii ad Lincum mentio est *Ibid. f. 110. a.*

V. a) Georgii Spalatini.

Argumentum.

No-

a) Spalatini vitam peculiari dissertatione accurate descripsit Vir *Cl. Christianus Schlegelius.*

Nomine Electoris Lincum ad munus Pastoris in ecclesia Altenburgensi vocat.

INter proficiscendum hodie Princeps noster mihi mandavit, tibi b) clanculum scribendum, ut patereris te suffici c) Gabrieli,

b) Timidiuscule enim, multisque humanae Sapientiae cautionibus interpositis, curam sacrorum puriorum agebat Fridericus hic III. Elector, quo nomine in epistolis ad Spalatinum passim eum Lutherus notat.

c) Gabriel hic Didymus intelligitur, qui paullo ante nonnulla Vitembergae cum Carolostadio turbulentius egerat, sed a Luthero in viam revocatus ab eodem Senatui Altenburgensi, praeconem Evangelii postulanti, commendatus erat. Quia autem canonici, qui jus sibi constituendorum praedicatorum, asserebant, acriter repugnabant, aliique, interquos Spalatinus, Didymo non nihil diffidebant, ipse etiam propter vocis exilitatem populo forsan minus gratus erat, frustra dissuadente Luthero, post menses sane pauculos dimissus postea Torgaviae non sine fructu docuit. Vid. *Lutheri Epp. Sekendorf. Hist. Luth. lib. 1. p. 181. & 213. sq.* Tandem, mutato per bellum civile Saxoniae statu, Didymus una cum Michaële Schulthesio, diacono Torgensi, propterea, quod se consiliis Interimistarum mascule opponeret, in carcerem abductus post sexennium in eo obiit. *Flacius in Respons. ad Acta Synod. Vitembergensium.* Artibus Melanchthonis illud tribuit *Matth.* Ratzenberger / vel quisquis auctor est historiae Secretioris de rebus ea ae[illegible]e gestis.

brieli, ita ut aliquandiu ecclesiae Aldenburgensium evangelizes. Qua in re scio te certo rem gratam Principi, populo utilem, & te dignam facturum. Itaque cum hoc mittimus hunc cursorem, ut per eum tu nobis statim respondeas, & rem non omnibus dicas, imo secreto serves, nisi vero putes communicandam cum d) Doctore Casparo: Cui & ipse scribo hoc nomine. Ego si quid & meae apud te possunt preces, te oro, ut meo quoque rogatu non fugias hanc vocationem, sed populum Aldenburgensem doceas verbum Domini, ad sedandos motus tantos, & instruendos rudes animos non solum fide, sed etiam charitatis verae officiis. Facile vero poteris Coenobio e) Neustadiensi aliquem alium praeficere, hoc

d) Nomen ei Guttelio fuit. De eo multis *Seck. l. c. p. 247.* sqq. Is tum Zviocaviae fuisse videtur, ex iis, quae habet *Sekendorf. l. c. p. m. 250. b.*

e) Neustadium ad Orlam in Thuringia videtur significari, quod non procul ab oppido Pesnick fere ad fines Ducatus Altenburgensis, ut nunc descripti sunt, situm. Hic Venceslaus paullo diutius, Luthero moram hanc aegre non nihil ferente, (vid. *T. II. Epp. f. 79.*) substitit.

hoc curaturum, quod tu praestares isthic degens. Neque adeo aberis, quin Aldenburgi agens possis continere fratres in officio. Quo magis te rogo, ut gratificeris hoc postulantibus. Bene vale in Domino, & responde citissime. Cursim ex Pesnick die S. Johannis *Baptistae*, 1522.

VI. G. Spalatini.

Argumentum.

Crebriores a Linco literas, precesque postulat. Soceri Linci sollicitudinem de ira ducis Georgii commemorat.

NIhil prorsus ab te jampridem habeo literarum, mi amicissime Doctor Vincilae, incertus etiam, an meas nuper Tibi sub Novembri proximo, nisi fallor, adscriptas acceperis. Ego certe nunc totus flucto, variis occupationibus pene obrutus. Tu igitur DEVM pro mea tenuitate ora, ut durare possim, vel potius, si ita DEO visum fuerit, concedere. Quid enim

enim aliud requiram? a) Socer tuus vehementer ſolicitus fuit, ne tibi ſit damno, quod b) Dux Georgius tantopere indignatur, neſcio quas literas iſthuc ad te tranſmiſſas a communi Patre, nunquam ſine praefatione nominando, D. M. Luthero. Quanquam multum dubitat tale quicquam tibi ab eo ſcriptum. Et ſi ſcriptum eſt, c) miror, mihi hactenus abs te celatum. DEVS ergo nos omnes praeſervet ab illius modi. Vides enim, quid moliantur, quem non moveant lapidem. Nos hic nihil habemus novorum: alioqui liberaliter iſthuc pervolaturum. Bene cum uxore, liberis, tota & domo & Norinberga vale, & pro nobis ora, & reſcribe, quae tuto licet literis mandare. Tam enim

a) Altenburgi enim A. 1523. poſt feſtum Paſchatis, quum ibi Paſtorem ageret, Lincus uxorem duxerat. Meminit harum nuptiarum *Lutherus T. II. Epp. f. m. 113. b. 130. b.*

b) De his Lutheri ad Lincum literis, & Ducis Georgii indignatione pluribus *T. III. Altenb. p. 457. ſqq. Sekend. Hiſt. Luther. lib. II. p. 99.*

c) Quin potius mirandum, nec ex Luthero Spalatinum intellexiſſe, nec Altenburgi aliquid de negotio, in aula varie jactato, inaudiiſſe. Sed aliis occupationibus diſtentum haec praeterierant.

enim frequens eſt fides Graeca, ut vix tuto etiam apud multos taceas. Aldenburgi die Magis ſacro 1529.

VII. G: Spalatini.

Argumentum.

Lincum, ut certamine nupero Georgii ducis & Lutheri de literis, a Linco publice recitatis admonitus impoſterum cautius agere diſcat, amice ac modeſte hortatur, ſtudiumque ſuum erga Bubalum ſignificat, itemque de Viſitationis negotio.

TRansmitterem & ipſe tibi viciſſim, mi amantiſſime Doctor Vinceslae, novitates, ſi quas haberem te dignas. Sed quia non habeo, non dubito te boni aequique conſulturum, donec Dominus aliquid dederit, quod recte ſcribi poſſit. Quanquam ſunt pleraque ejusmodi, quae melius taceas, quam temere omnibus ſcribas. Cujus rei periculum procul dubio & tu expertus nuper, probe noſti, quid ſit ſcri-

ſcribere, quid a) communicare literas omnibus, ut vel hoc uno documento diſcas, non facile omnibus omnia credere. Reliqua ex D. Johanne Bubaſo cognoſces: cui utinam tuo nomine & rogatu multis commodare potuiſſem. Verum ne nihil prorſus facerem, dignatus hoſpitio in aedibus ſocrus meae, praefecto noſtro fideliter commendavi. Porro b) Viſitationem meam in Miſnia ultra Cygneam nondum abſolvimus, DEO adjuvante poſt Saturnalia, vel, ſi mavis, Lupercalia in Voitlandia idem operis facturi, niſi Dominus aliud voluerit. Bene in Domino vale. Aldenburgi IIII poſt purif. Mariae Anno 1529.

a) Literas m. Lutheri, de quibus epiſtola ſuperiore Lincus in concione de ſuggeſtu recitaverat, & Scheurlio miſerat, quum Georgii Ducis Secretarius Heidius (Miritianus, ut Latina voce pro more illius aetatis appellabatur,) de iis Norimberga quaereret. *Sekend.*

b) De qua pluribus *Schlegelius in Vita Spalatini* ¶. *XXII.*

VIII. G. Spalatini.

Argumentum.

Abi.

Abitum se ex Comitiis mox sperare, Pontifici in ipsa Italia nasci adversarios narrat: quousque adversariis cedendum sit, quaerit, & nonnulla ex epistola Erasmi ad Melanchthonem refert.

PEr tuum Cyriacum & Martinum clientem Fuccariorum fortassis plura. Nunc vehementer petimus tuum responsum. Speramus nos non adeo diu hic substituros. Heri enim praemissa sunt aliquot vectabula cum arcis, hippoperis, fortassis, ut eo expeditius domum proficisci liceat. Vtinam sic, quicquid hoc est caussae, componatur, ut & verbum DEI nobis & pax publica toti Germaniae maneat! Verum usque ad aram, ut est in veteri adagio. Hodie audivi ex Consule Eslingensi, extitisse in Italia, qui acerrime contra Pontificem Rom. scribat. Sparsus etiam est rumor, Pont. Rom. a) ab Vr-

 sinis

a) Accidit tale quid A. 1526. quo Columnenses Vrbem invadentes Clementem VII. P. R. in molem Adriani compulerunt. Vid. *P. Suavis Hist. C. T. lib. 1. p. m. 44. sq.* At idem A. 1530. contigisse non legitur. Falsus ergo hic rumor fuit. Praeterea Vrsini contra Columnenses a partibus Pontificis R. stabant.

ſinis & Columnenſibus in arce S. Angeli obſidione cinctum eſſe: quod nobis omnibus magnae eſt voluptati. Philippus Melanchthon pertaeſus malignitate & impietate incredibili adverſariorum, videtur paullo quidem amplius ipſis b) ceſſurus. Tantum tu nobis reſponde ſtatim, c) quid tuto & incolumi DEI gloria & verbi ejus, & noſtra ſalute permittere poſſimus, & an debeamus, ſi ita vrſerint, facultatem poſtulare a Legato & Caeſare d). Hodie accepit Philippus literas ab Eraſmo, datas e) Friburgi, die Auguſti hujus 17. in quibus inter initia ſtatim ſcribit: ſi quid ponderis ſuae haberent, nihil minus futurum, quam vt bellum ſuſci-

„pia-

b) Cujus de conſiliis, & timore, & praepoſtera ſapientia infectis, paſſim *in epiſtolis* ad eum datis hoc tempore *Lutherus*. Add. *Sekendorf. lib. II.* ¶. *LXVII.* & alibi.

c) Factum hinc eſt, accedente Senatus auctoritate, ut de actis Auguſtanis Norimbergenſes ſententiam ſuam prudenti & pio ſcripto complecterentur, quod Chytraeus habet in Hiſtor. A.C. Germ. ſ. m. 171. b. in quo concinnando Venceslai quoque noſtri operam interceſſiſſe, credibile eſt.

d) Videtur aliquid deeſſe.

e) Eo conceſſerat Eraſmus a. 1529. m. Aprili, Baſileam tamen reverſus A. 1535.

„piatur. A nemine jussum, vt nomine „Caesaris his comitiis adesset. Nec „Caesari, nec Ferdinando se scripsisse in „hoc conuentu, ne se periculoso negotio „sponte admisceret. Neque se clam esse, „f) quam sint quidam, quorum arbitrio „hic res agitur, qui ipsi non admodum be„ne velint. Certe ab Eccio positas ipsius „sententias aliquas inter haereticas, nisi „quod pro Erasmo dicat quidam, quod ab „illo nunquam exspectarat. Vtitur & „his verbis: Me tamen nulla privata „injuria huc perpellet, ut belli sim au„ctor. Iampridem me gestientem g) „a Germania recedere nunc compellit „necessitas. Hic aegre habemus, quod edamus aut bibamus. Quid fieret in bello? Salutant te omnes nostri & amanter & reverenter. Tuum pulchrum h) Confitemini nondum licuit mihi ne-

 que

f) f. quod.

g) Mutato tamen postea consilio in Germania mansit, & Basileae 1536. d. V. Id. Jul. obiit.

h) Lutheri liber est in Psalm. CXVIII. Commentarius, Friderico, Abbati ad S. Aegidii Norimbergensi inscriptus, das schöne Confitemini. Linco tribuit Spalatinus, forte quod ejus opera Norimbergae in lucem editus esset: quod &

que videre, neque legere hactenus. i)

de literis Lutheri ad Albertum Cardinalem factum. vid. *Lutheri Ep. ad Rueiium T. V. Altenb. p. 244.* vel quod eum se librum in oculis, quod dicitur, ferre, Spalatino per literas confirmasset.

i) Non indicatur locus tempusque scriptionis. In Comitiis tamen illis celeberrimis, Augustanis, A. 1530. scriptam, res ipsa clamat: & quidem sub finem Augusti, vel Septembri incunte.

IX. G. Spalatini.

Argumentum.

De conventu Svinfurtensi Linco quaedam refert.

ETsi deest, mi amantissime D.D. quod scribam: incerta enim hic sunt omnia: tamen scribendum ducebam. Quicquid enim actum sit, quicquid adhuc agetur, propediem fortassis intelligemus pleriq;. Interim rogo, vt Dominum oremus pro pace, pro verbi cursu, pro optimis Principibus nostris, pro tota ecclesia. Videmus enim securim a) radici arbo-

a) Periculum enim erat, si instituta de pace actio parum procederet, ne tota bello civili conflagraret Germania.

arboris impositam. Vtinam igitur Dominus vel innocentis sanguinis misertus, custodiat & ecclesiam suam, & Germanicam nationem, alioqui modis multis miserrimam. Credo te nosse b) Bucerum hic esse cum suis Argentinensibus. Hessorum Princeps non adest. Noster vero Princeps c) vere religiosissimus & sanctissimus loco patris optimi, Electoris Saxoniae, hic in tertiam hebdomada divertit vna cum duobus Electoribus, Moguntino & Palatino, imo cum duce Francisco Luneburgio, & Principe Wolfgango ab Anhalt. Dominus igitur det diebus nostris, vt pacem, ita veritatem. Bene vale cum conjuge, liberis, D. Osiandro, d) Dominico, Venatorio, Friderico Abbate Egidiano, Sebast. Furnschildio, Poëtarum e)

 rege

b) Cujus consilio Argentinenses in isto conventu Augustanam formulam sûbscriptione approbarunt, & in fedus Saxonis & Hassi, Principum, sunt recepti.

c) Joannes Fridericus, paullo post Elector.

d) Plenum ei Dominico Sleupnero nomen erat.

e) Regis nomine inter sodales Eobanus Hessus per jocum insigniebatur, quod ipse, ut erat ingenio festivo, non aspernabatur. Vid. inf. *ep. LIX.* Appellationis hujus occasionem ex Jo. Gapnionis literis captam, recenset *Melch. Adamus*, in

rege Hesso, f) Michaële; ac pro nobis ora. Schvvinfurdiae die IIII. post Misericord. Dom. 1532.

Eobani Vita, ipseqv *Eobanus*, peculiari carmine *sub finem libri II. Silvarum.*

f) Forte Michael Rotingus intelligitur, qui tum Norimbergae Dialecticam in Schola publica docuit. Vid. *Eobani Elegia de Schola Norica.*

X. G. Spalatini.

Argumentum.

De duabus Lutheri epistolis, quas Lincus flagitaverat, perscribit, itemque pareliis, Altenburgi visis.

Accepi aliquot literas tuas, mi Doctor. Nonnullis etiam respondi. Neque dubito in manus tuas venisse. Verum quam tantopere postulas & petis epistolam Rev. Patris D. M. L. a) ad convocationem Witenbergensem, quamvis diu quaesitam, prorsus non possum invenire. Con-

a) Videtur significari liber Lutheri de abroganda Missa, quem Patribus Augustinianis Vitembergae 1521. conventum celebrantibus inscripsit. Relatus est in *T. II. Ien. & T. II. Altenb, p. m.* 11. *seqq.*

Consolatoriam autem b) ad Matrem ejus, mittente M. Vito, proximis diebus consecutus sum. Magnifice consolatoria sunt, vt illius tanti viri omnia. Quae enim c) ad Joachimum Marchionem Iuniorem Brandenb. scripsit, nondum vidi. Hic Aldenburgi nonnulli spectatae fidei homines toto pene die tres viderunt soles. Ex Vitenberga bonos exspectamus libros post nundinas Lipsenses. Bene vale cum Conjuge, liberis, Patre Carthusiano, amicis omnibus, praesertim d) Honoldio & suis, & pro nobis ora. S. Ioannis Apostoli & Evangelistae e) 1533. XI.

b) Haec A. 1531. ad matrem morti propinquam scripta, & *T. V. Ien. & Altenb. p. m. 587.* inserta est.

c) Ea I. C. Sagittarius ceteris Lutheri scriptis addidit *T. V. Altenb p. 1280. sq.* exarata, quum Princeps ille in Turcas iret A. 1532. Nam alteras literas, de usu S. Coenae sub altera, ut vocant, specie, ea tempestate publico statim commissas vix credo.

d) Sebastiano Honoldo. De quo *inf. ep. 21.*

e) Observandum hic est, illa aetate anni primordia a Natali Christi capta esse; nostra vero numerandi ratione has literas ad finem anni 1532. referendas. Idem etiam in ep. 20, 27. 60. & 65. vsu venit. *Eobanus Hessus libro III. Sylvarum :*

Cum gelidus decimam Sol aspirabit ad vmbram,
Sumpturus mecum prandia parca, veni.
Gaudia nam suadet magni natalis IESV,
Vt novus hic nobis candidus annus eat &c.

Vide & *inf. ep. XVI.*

XI. G: Spalatini.

Epiſtola Laconica.

Reverendo D. Vincilao Linco, Doctori, amico excellenti, Georg. Spalat.

DEi gratiam & pacem. Caetera poſthac, mi D. Doctor. Nunc vale cum tota domo & ſanctis iſtic omnibus. Plura enim non vacat. Ora pro nobis. Die Cinerum 1533. Haec per a) fratrem iſthic iturum.

a) Stephanum, vt puto; de quo plurib. *infra ep. XLII.* conf. *ep. XIV.*

XII. Viti Theodori.

Argumentum.

Luthero femina quaedam mitti poſtulat. De formula rituum eccleſiis Noricis praeſcripta: Alberto quodam, item laborib. Lutheri ſcribit.

S. in Chriſto. Iamdudum nihil ad te ſcripſi, vir Optime, quod ſentiam o-

tio-

tiosas literas minus gratas tibi esse, quae nihil continent praeter officii commemorationem. Nunc autem a) D. noster, qui jam aliquandiu post longos & periculosos capitis morbos convaluit, argumentum obtulit. Petit enim a tua humanitate, vt sibi vel poraginis vel buglossae hortensis semina alicunde conquiras, quibus delicati mercatores utuntur **zum Salat / und soll sehr wohl schmecken.** Est jam apud nos b) Electoris mortui Medicus, D. Caspar, is mirum in modum eam probat, ac dicit Nurnbergae quoque in pretio ac deliciis esse. Audio, absolutam vestram c) Cerimoniarum formam. Sed nondum eam hic vidimus. De qua cum omnes gauderemus mirum in

a) Non dubium est, quin ita *κατ' ἐξοχὴν* Lutherum appellet, qui & ipse a Linco variarum semina herbarum petere est solitus. Vid. *T. II. Epp. Luth. f. 292. 327. 332. 342. b. 365. b. 369. 376.*

b) Ioannis, anno praecedente Lochaviae vita functi.

c) Ea communi Georgii Marchionis Brand. & Senatus Norimbergensis consilio edita est: De qua pluribus *Sekendorf. Hist. Luth. lib. III. §. m. 71. sqq.*

in modum, audimus tamen bonam senatus partem non candide eam vel probasse, vel in lucem edi curasse. Sic conveniunt Christus & Baal, verbum DEI & sapientia mundi, praedicatio gratiae & mercatura omnium vitiorum nutrix. Quod si suum honorem verbo & ejus ministris non dabunt nostri, actum est de tam pulcra Republica, quae una cum d) Ebnero concidisse videtur. Est jam vobiscum Albertus meus, is si quando ad te veniet, quaeso, eum benigne excipito, &, si qua re potes, juva. Ego vicissim h. t. gratificabor. Nova nulla habemus: nisi quod e) Lutherus rediit ad Biblia corrigenda, & ad Apocryphos libros edendos. Dominica Oculi 1533. f)

d) Hieronymum hunc Ebnerum A. 1532. mense Augusto vita functum *Eobanus* carmine Epicedio celebravit.

e) Haec ad Historiam Bibliorum Germanicorum notanda.

f) Extat in eodem codice MSPto Viti Theodori Epigramma De assumptione humanae naturae in filio Dei.

Huc me sidereo descendere jussit Olympo,
Hoc me, ceu teli, vulnere fixit amor.
Langueo, nec nostro quicquam succurrit amori,
Quem nequeunt dirae frangere jura cruci.

Pun-

Pungentem capiti (dirum) gestare coronam,
Fortis amor docuit, vulnera tanta pati.
Felle sitim magni Regis satiavit acerbo,
Pectus ut hauriret lancea, fecit amor.
De me solus amor potuit proferre triumphum:
Ille manus clavis fixit, & ille pedes.
Si cupis ergo animi mihi signa rependere grati,
Dilige: pro tantis sat mihi solus amor.

XIII. G. Spalatini.

Commendat Nic. Sentium.

VIdes, mi amantissime D. Vincilae, quid roget D. Nicolaus Sentius, olim Augustinianus, nunc Parochus Lembensis, in ditione Schlaniensi. Rogo igitur vehementer, vt ita commendatum habeas miserum apud Senatum Norinbergensem, ut intelligat meam sibi commendationem non parum * plurimum valuisse. Feceris enim rem & te dignam, & utrique nostrum gratissimam. Recte vale cum tuis omnibus: & a) avunculi mei viduam & liberos fideliter habe commendatos, propter Christum. 1. Maii. 1535.

XIV. G.

* In mendo locus hic cubat: constat tamen de sententia.

a) Scil. Thomae Chiliani arcularii.

XIV. G. Spalatini.

Argumentum.

De mala tabellariorum fide queritur, & obitus multorum insignium virorum deplorat. De sacro sermone a Luthero Torgae habito, & conventu trium Electorum Lochae, Episcopisque Daniae a Rege in vincula conjectis narrat, & Monotessaron Osiandri se exspectare significat.

VTrisque tuis literis, fratri Stephano datis, multo citius respondissem, si habuissem tabellarios certos, & isthuc ituros & huc redituros. Incertis enim cur darem? nisi interceptas aut retentas, aut prorsus perpetuo amissas cuperem. Video enim Graeca saepe fide literas & cetera reddi. Crede mihi, dolenter intellexi tot tantisque viris defunctis nuper, nudatam esse Nurenbergam. Idem fieri video etiam in multis non solum urbibus & oppidis, sed etiam regnis, regionibus & ditionibus, vt metuam esse signa pereuntium rerumpublicarum: si modo

modo non solum Esaiae, sed etiam historiis veteribus fidem habemus. In quibus fere vbique est legere, amissis magnis civibus, & foris & domi insignibus, collapsas etiam tandem esse resp. Merito igitur Dominum oramus, ut suorum misertus eos paterne reservet incolumes. Interim sane nobis magno est solatio, quod tantam Evangelii lucem, tantam Christi cognitionem assecuti, certo scimus, Christum servatorem esse benignissimum omnium nomen ipsius confitentium coram hac perversa & impia & prodigiose ingrata generatione. Nostros adhuc feliciter valere & hic & Vitenbergae non dubito tibi liquere. Reverendus pater noster Lutherus a) Torgae coram Principe

a) De hac Lutheri Concione nullum adhuc vestigium alibi reperire potui. Extat quidem *T. VI. Alt. p. 911.* Concio nuptialis, quae in arce Eilenburgensi dicitur habita, pro qua forsan Torgensem arcem reponi debere, alicui in mentem venire posset: quum Torgae fuisse Lutherum, etiam ex ipsius literis ad Pontanum *l. c. p. 917.* constet. Eilenburgensis vero itineris nulla fiat alibi mentio. At vero vetat haec dicere temporis intercapedo, quum sermo ille nuptialis circa Paschatis solennia sit habitus, hic vero, de

cipe Electore Saxoniae & legatione Regis Romanorum & Boëmiae &c. concionatus est, vt mihi dixit inde ad me reversus amicus. Ex Torga habeo literas, Dominica post Matthaei, b) Archi-Episcopum Coloniensem, & Ioachimum Brandeburgicum ad Principem nostrum venisse Locham, & ita tres Electores Romani Imperii convenisse. Rarissimus certe conventus hactenus. Ex Vitenberga mihi scriptum est, regem c) Danorum

VII.

de quo Spalatinus, circa mensem Septembrem. Legatos Ferdinandi literae, quae anno sequenti ab eo ad Lutherum scriptae perhibentur, nominant Io. Offlingium, Cancell. Boëm. & Andr. Vngnadium, Baronem. An ex hac Spalatini commemoratione aliquid pro fide illarum literarum confici possit, viderint prudentiores.

b) Vterque consilium de purgandis a veteri superstitione sacris in provinciis suis ceperat; cujus prima molimina, sed tenuia, Hermannus hic Coloniensis hoc ipso anno, habita Coloniae Synodo, suscepit, postea vltra progressus: Ioachimus vero II. Brandenburgicus ad eam rem literis Philippi, Hessiae Principis, excitatus hoc anno, publice eam peregit post triennium. Atque in hoc conventu eos ab Electore Saxone in proposito confirmatos fuisse, dubitandum non est.

c) De eo ex idoneis auctoribus post alios agit *Seckendorf. l. c. lib. III. p. m. 242.*

VII. Episcopos in carcerem conjecisse, & missos ab eo Vitenbergam, qui cum D. Philippum, tum d) D. Pomeranum, & alios eruditos in Daniam ad constituendas pie illic ecclesias deducant. Monotessaron, ut vocas, Osiandri nostri sitienter exspecto, opus haud dubie vt eruditissimum, ita mirificum. e) Dominica Remigii 1536.

d) Abiit hic paullo post in Daniam, & coronato in Comitiis Regni Christiano III. formulam constituendarum ecclesiarum conscripsit.

e) i. e. d. 1. Oct.

XV. Georgii Spalatini.

Argumentum.

Caussam cognatae suae ministris ecclesiae commendat.

Doctissimis Viris D. Vincilao Linco, Theologiae Doctori, D. Andreae Osiandro, D. Dominico Schleupnero, D. M. Vi-

to

to Theodoro, & D. Thomae Venatorio, Sincerifs. Ecclesiae Nurmbergensium Ecclesiastis, amicis in Domino, tanquam fratribus, charisfimis.

NOn dubito auditum vobis, viri amicissimi, Leonardum Nabensem arcularium, quamvis publice & consensu parentum & amicorum charissimae meae cognatae Virgini Magdalenae, Thomae a) Chiliani arcularii, avunculi mei amantissimi, filiae sponsalia ante aliquot annos pollicitum, nescio quo profectum, nunc affirmare, prius idem pollicitum, nescio cujus, istic Nurnbergae lanii filiae matrimonium; nunc nihil boni secuturum, etiamsi adactus duceret meam cognatam:

a) Annam, Spalatini filiam primogenitam, M. Michaël Chilianus, Norimbergensis, Scholae Altenburgensis Rector, vxorem duxit. *Schlegel. in Vita Spalat.* §. 26. Hunc ex Thomae istius genere fuisse, atque adeo Spalatino propinquitate quadam sanguinis conjunctum, non improbabile est. Certe Thomae hujus filium stipendio juvari, *epist. XVII.* rogat, & Michaëlem Chilianum, cognatum agnoscit *ep. XXXIX.*

tam: imo qvamvis Senatui amplissimo vestro juratum, non discessurum, nisi re confecta & caussa cognita atque definita, tamen clam elapsum non redire: interim miseram meam cognatam retineri fluctuantem & pendentem prorsus animi, non sine gravissimo & corporis & conscientiae periculo. Qua de re nunc denuo ad Ampliss. Senatum Vestrum scribo, orans, ne caussam diutius extrahi sinat. Cum igitur non dubitem, vos omnes, vt gratia, ita auctoritate apud Senatum valere, vehementer rogo, vt ipsi quoque Senatum meo nomine & rogatu ita rogetis, vt publice citet & in jus vocet Leonardum Nebeusem, vt vel puellam ducat domum, vel, sive compareat detrectans, sive non compareat, puella ab eo liberata per sententiam alii in Domino possit nubere. Neque enim sponsus, sed desertor habendus est talis nebulo. In ecclesia certe tum Witenbergensi, tum nostra, diu esset absoluta puella. Cur enim innocens diutius in tanto discrimine captiva retineatur? Mihi certe nihil gratius vn-

quam facere poteritis, curaturo ſummis viribus, vt eadem me animi propenſione erga vos veſtrosque perpetuo ſentiatis paratiſſimum. Bene valete, cum veſtris omnibus. 9. Oct. 1538.

XVI. G. Spalatini.

Argumentum.

Literas Erh. Sthaubigii mittit, & elegos in auſpicia anni natali Chriſti ineuntis: Cognatae cauſam denuo commendat.

QVamvis non adeo ſuppetente argumento ſcribendi, tamen haec ſcribebam maxime hoc nomine, vt tibi mitterem literas D. Erhardi Sthaubigii, ne diutius domi meae retinerentur. Cetera apud nos, quod ſciam, ſalva ſunt omnia Dei beneficio. Ne autem meae prorſus inanes ad te venirent, dedi profecturis elegos meos pro ſtrena, h. e. novo anno de puero Ieſu nuper editos, vt videas, qualis ſim poëtaſter ſeneſcens, aliquando a ſeriis & gravioribus cauſſis & negotiis feriatus.

An-

Annus eat praesens CHRISTO duce laetus vbique,
Quo puero miseris coelica regna patent.
Principibus cunctis & gentibus omnia recte,
Ordinibus cunctis omnia fausta cadant.
Hoc puero fautore sat est, & ubique salutis,
Quicquid & ambrosiae sidera lucis habent.
a) Hoc puero fautore nocent nec mille pericula rerum,
Nec Satanae miseris ignea tela nocent.
Hoc puero fautore favet Pater ille benignus,
Qui digito verbi cuncta creata fovet.
Hoc puero fautore favent pia numina cunctis,
Omnibus inque malis pectora laeta vigent.

a) Heptameter. Forte:, noceat nec mille pericla.

De verbo Dei:

Salvus eris verbo, verbo tutissimus ibis,
Hoc sine spes homini nulla salutis erit.

Sed parce, quaeso, & ignosce b) jocanti. Quamvis quid vetet ludere Spalatinum, si Davidi non fuit religioni saltare ante arcam Domini? Bene vale cum tota & domo & Norinberga, & pro nobis omnibus ora, &, si poterit fieri, cura, vt cognata mea, c) arcularii filia, ab arculario profugo ac perfido liberata alteri, auctoribus propinquis, in Domino possit nubere. Gratissimum enim mihi feceris. Cursim 4. Febr. 1539.

b) Iocari & ludere h. l. est: versus facere. Hi enim Spalatini versus in rebus maxime seriis occupantur.

c) De qua pluribus epistola praecedente; item sequente.

XVII. G. Spalatini.

Argumentum.

De itinere suo Vitembergensi, & Lutheri libro

libro de Conciliis & ecclesia commemorat, & avunculi liberos diligenter commendat.

SI recte cum tuis vales, gaudeo. Nos enim hic tui omnes, quod sciam, DEI Patris optima voluntate mediocriter valemus. Inveni etiam & reliqui a) proximis diebus R. Patrem nostrum D. D. M. Lutherum, & optime valentem, & hilarem, imo etiam scribentem librum de Conciliis & Ecclesia ad nundinas Paschales proditurum in lucem; Opus toti ecclesiae vere Catholicae haud dubie modis plurimis eximie profuturum. Iam excuditur. Partem vidi hospes homini duabus coenis, imo toto binoctio. Nunc te rogo vehementer, primo vt literas meae affini, arculariae viduae in hospitali cures reddendas: Deinde vt vna cum D. M. Vito Dietericho, D. Hieronymo Baumgartnero, D. Erasmo Ebnero des operam, vt meus cognatus, Thomae a-

a) Saepius enim Spalatinus, etiam Bibliothecae Electoralis caussa, cujus ipsi cura concredita, Vitembergam adibat.

vunculi mei arcularii filius, ſtipendium nactus a Senatu Inclyto, ſtudia ſua proſequi poſſit in Schola Vitenbergenſi, modis omnibus reverenda: poſtremo, vt te adjutore, te provectore, te cohortatore, filia arculariae Magdalena, cognata mea, ab infideli arculario, quia profugo, liberata alteri in Domino, ſuorum conſilio, nubat. Iſtis enim modis mihi mirum in modum gratificaberis, ad talia officia me quoque nunquam non vel cupidiſſimum habiturus. Recte cum tuis omnibus a nobis omnibus vale. 16. Martii 1539.

XVIII. Iuſti. Ionae.

Argumentum.

Invebitur in P. R. De pace Francofurti conſtituta agit, & ſe librum Lutheri de Conciliis & eccleſia latine reddere ſignificat.

Clariſſimo vito D. Vincilao Linco, Theologiae Doctori, amico veteri

teri & charissimo, a) Iustus
Ionas.

GRatiam & pacem DEI in CHristo! Gaudeo, mi Charisfime in Domino Pater, (Conciones enim tuas sanctisfimas & evangelicas Anno XL. i. e. ante annos XXVIII, * tu, senis, ego XIX annorum juvenis, * additis festis diebus, audivi Vitenbergae; stante adhuc b) ligneo illo templo, contexto ex asseribus) & mi Charisfime in eodem Christo amice & frater, Officium hoc meum gaudeo tibi gratum esse, quod curavi Argentorati excudi Cerimonias Papae abs te in nostra lingva Germanis, * dedisse in Ebraico, & bonis Christianis propositas, vt non obliviscantur coronae triplicis, quam, vt audio, Ro-

a) De quo *Melch. Adamus in Vitis*, & passim *Sekend.* item *Adr. Beierus in Syllabo Prof. Ien.* p. 445.
* Mendum, f. vt scis,
* f. aditis.
b) Erat hoc templum Vitembergae in monasterio Augustinianorum, quod verbis Myconii describit *Sekend. Hist. Luth. lib. I. p. m.* 17. b.
* Haec aliquantum luxata sunt. Certe sing tribus his verbis rectius sibi sensus constat.

mae veteri nomine vocant Regnum mundi, ad quam stulti Germani, tot jam seculis dederunt, imo effuderunt, non chiliades solum multas aureae monetae, sed totum pene aureum flumen & auri montes, Pro auro illo plurimo infinito interim bene bullati, bullizati, plumbati, cerati, chartati, indulgentiati. Excitant ejuscemodi libri Lutherum & nos & Vitenbergam totam, vt eo tenerius amemus Papam, & sanctissimum illum, illum sacrum, qui non vno genere imposturae depeculatus est non remp. vnam aliquam, sed tot regna, tot opulentas & varias gentes per totum orbem. O furem non vulgari modo patibulandum! Sed ignosce nugis & ineptiis. Pax c) Francofordii constituta dicitur: de quo latius in proximis literis. Iam latine reddo librum d) de Ecclesia, * de regnis, Vale in CHristo, Raptim Viten-

c) De ea Fuse *Seckend. P. III. p. 200. sqq.*
d) Lutheri puta, qvi hoc anno de Conciliis & Ecclesia Germanice scripsit. Conf. ep. superiorem Spalatini.
* Videtur esse error exscriptoris.

tenbergae 4ta poſt Cantate 1539. Saluta amicisſimum, clariſſimum Virum M. Vitum Theodorum, donum DEI patriae datum.

XIX. Iuſti Ionae.

Iocatur de Lutheri erga Lincum benevolentia.

GRatiam & Pacem DEI in CHriſto. Apud D. Wolfgangum a) Stromerum D. Doctor Martinus graviter queſtus eſt, quod qvum ad me dederis nuper literas humaniſſimas & hilares, ſe amicum veterem aſperrimo b) epiſtolio, ob intermiſſum literarum officium objurgaveris. Verum ab eo die D. Doctor dicit te tam tetricum factum, quo factus es c) Ma-

a) Hunc patricia apud Norimbergenſes Stromeiorum familia fuiſſe, ex qua etiam D. Ioannes Stromerus, Cancellarius Altenburgicus, tandemque Conventuum Iuridicorum Ienae, ineunte ſeculo decimo ſeptimo, Praeſes, ſanguinem duxit, non improbabile eſt.

b) Inf. n. LXXI. extat Linci ad Lutherum epiſtolae fragmentum, ſollicitudinem Linci, ne animus Lutheri erga ſe immutatus ſit, oſtendens. Forte ad iſtam haec pertinent.

c) Magiſter Cerimoniarum Papae. Sed ignoſce nugis. Lutherus miratur, quod ſe irritare auſus ſis objurgatrice epiſtola, quem alii, modo ipſe ſileat, facile patiuntur quieſcere. D. Doctor ſprach/ Doctor Vincilaus ist wohl meiner liebſten Freund einer auf Erden / ich kan ihm aber nicht ſo offt ſchreiben / als ich gern wolt. Verum ſi illi mecum rixari libet, arripiam Cerimoniarium, non aliter atque ipſum Papam; pro epiſtola, quam aſperiorem mihi ſcripſit, facile eum remunerabor. De ſtatu rerum noſtrarum, & maxime de conventu Francofordenſi audies ex D. Stromero. Iam impedior negotiis. Vale in CHriſto! Datae raptim Vitenbergae, 6ta poſt Cantate 1539.

c) Ludit de edito per Lincum Papae Ceremoniario.

XX. Iuſti Ionae.

Argumentum.

De 300 florenis, quos a Coenobio VValtheim *Lin-*

Lincus repetebat, perscribit, & Visitationis in Ducatu Heinrici Saxonis explicat rationem.

EPistolam tuam amicissimam illam proximam, mi Domine Doctor charissime, his verbis auspicaris: Cum tu, mi Iona, in ducatu illius Principis Heinrici, Ducis Saxoniae, supremus sis visitator, rogo &c. Et petis, vt ex Coenobio Waltheym possis per meam operam & diligentiam recuperare aliquid de illis 300. florenis, quos olim in vsum & commodum illius monasterii convertisti. Verum in hac & longe maiori re, quae quidem ad te pertineret, quoquo modo libenter te juvarem omni mea opera & studio. a) Iustus Menius autem, & ego Ionas, vna cum aliis collegis ejuscemodi sumus inspectores, vt nobis tantum sit commissum examen pastorum, & quae ad constitutionem ecclesiarum, quoad doctrinam, & parochiales ac minutiores reditus attinent. Verum monasteriorum cum

a) Haec conferantur cum iis, quae de hac Visitatione *Sekend. lib. III. p. 220. sqq. habet.*

cum Waltheym, tum & maxime pinguium Abbatiarum curam gerunt alii, illarum ecclesiasticarum opum ἐπισκοποῦντες, satis oculati. Deinde de ipsa forma visitationis (quod ad b) Electorales attinet) alia est & nostri Electoris, & Principis Heinrici deliberatio. Sed tamen cum illi 300. flor. omni jure tibi debeantur, potes scribere literas & supplicationem ad illustrissimum Principem Heinricum, tum c) Spalatinus & ego, aut ego solus addemus literas, & promovebo hoc negotium tuum apud d) D. Antonium a Schonbergk, (qui iam potens * aliis est, in aula dicitur secundus) quantum omnino possum. De Caesaris e) adventu in Belgicum nihil certi hic audivimus. Tabel-

b) Hoc eo pertinet, quod visitationi sub finem anni in Misnia repetitae nemo Electoralium interfuit. Coenobii Waltheim mentio extat in priori Linci itinerario, Vitae ipsius adiecto.

c) Qui & ipse inter Misniae Visitatores erat.

d) Ille, a Georgio Duce, Doctrinae evangelicae caussa multa passus apud Henricum Freibergae receptum habuit, primumque gratiae locum tenuit. De quo multa *Sekend.*

* f. prae aliis.

e) Incidit ille in initia anni 1540. cum propter motus Gandavenses per Galliam iter fecisset.

bellarius vester affirmabat se summo mane abiturum ; latius scribam alio tempore. Rogo, si quid de f) Rege, de Caesare, Cameracensi Synodo habes, communices nobiscum. Vale in CHRISTO Domino nostro. Saluta Dominos & amicos. Raptim Vitenbergae 4ta post Innocentum g) 1540.

f) Ferdinando.
g) initio anni a feriis CHristi natalitiis computato.

XXI. Casp. Aquilae.

Argumentum.

De libro Lutheri contra usurarios scribit, atque in eiusmodi homines acriter invehitur : sententiamque Linci de Seb. Franci libro, Das verpitschirt Buch/ *explorat.*

Celeberrimo & vere pio Domino Vinc. Linco, Sacrae Theologiae Doctori, ac Noricae Ecclesiae vigilantissimo Pastori,

ri, Domino ac Patrono ſuo colendisſimo, tanquam veteri & ſummo amico.

a) Caſparus Aqvila.

DIc, quaeſo, per DEVM viventium, qvali apparatu, quibus facierum geſtibus, qua ſpecie exceptus ſit gravisſimus iſte liber Magnifici noſtri praeceptoris, D. M. Lutheri de funeſta vſura? Dic obſecro, quas turbas excitarit apud veſtros tragica iſta Comoedia contra vſurarios? Incipiuntne quidam reſipiſcere vel erubeſcere patrati flagitii? Dic, poſſuntne tenerrimi iſti huius ſcelerati ſeculi filii ferre veſtra dira Iovis fulmina, adverſus iſtos immanes ac barbaros impoſtores, Cerberi ſoboles, qvi hactenus exu-

a) Hic Auguſtae Vindelicorum natus, ſub primam renaſcentis ſincerioris doctrinae lucem apud Fr. Sikingium fuit, poſt ejus cladem Iſenacum venit, & anno 1528. Paſtor & Superintendens Saalfeldenſis conſtitutus eſt, vir pius & doctus, prudentis item & conſtantis animi, quem imprimis in illa eccleſiarum vexatione, quae victo Io. Friderico Electore contigit, ſatis declaravit.

exuxerunt hoc commento, quod appellitant turpi & cruenta nomenclatura, **den Umbschlag.** (Infernalis draco.) Valde exhorreo, quum eius memoriam facio. Ego sic divino: quandoquidem abominatio missarum graviter & magna spiritus audacia profligata est verbo DEI, sic tamen quod maxima pars desciverit ob hanc causam a veritatis doctrina; ita vereor, nunc plurimos ex optimis & summis hujus seculi mercatoribus ab Evangelio deficere, quando audiunt palam funestam vsuram sic abominari, & a DEO, & ab omnibus piis. Imo timeo, plures constantes praecones CHristi ob hoc vnicum scelus proscribi, vel clam pressum iri, vel omnino negligi. Habet enim hoc pestiferum vsurae scelus pulchram speciem recti: nempe longitudinem temporis, multitudinem heroum & Optimatum, qvi hac infecti contagione sunt; indulgentiam Caesaris, qui sic concedit iure licere e 100. flor. 5. flor. tollere. Nil ponderant, quid CHristus, quid David Ps. xv. Hezech. 18. contra clamitent. Continget nobis omnibus perinde, ac Prophe-

phetis, qui speciosum cultum abrogare contendebant excelsorum, vitulorum, lucorum, da musten sie über die güldene schöne Göttliche Kälber die Hälse verlieren. Mundus enim vult decipi, non argui; vult reformare nos, non converti a tenebris Mammonae ad lucem veri. Sed satis. Rogo propter CHristum, rescribe, quid tibi suggerat Spiritus, quid tuum sit hic videre, quid tui ogganniant. Brevi dilucidiora respondebo, praesertim qui placeat haec doctrina contra foenus Mecaenati nostro, Dno. Sebast. Honoldo, & reliquis huius farinae. Sed rogabimus, vt Dominus IESVS nos conservet in firma fide in Christum, & laeta patientia in finem vsque. Amen! Pro me orabis indesinenter. Nos semper in excubiis sumus; Ignoramus, quid cruentus Mars mali machinatur. Gestiunt vndique belligerari osores veritatis, omnia dira nobis minantur. Sed qui in coelis est, subsannabit eos. Amen! Editus est nuper liber ab isto fanatico Spiritu, Sebastiano Franck / hoc insignitus titulo, das verpitschirt Buch

über

über sein gülden Arca. Quaesitus sum a quodam optimate, vt judicium ferrem de hoc stupendo libro: respondere nihil certi potui, quia librum non vidi, nec audivi excusum esse. Sed arbitror, esse reliquis suis libris similem, i. e. omnino sacri verbi ministerio vocali contrarium. At quia ignoro, quaeso, si incidisses in hujusmodi spineta sua, narra, quid tibi videtur de eo. Bene vale & saluta reliquos Symmystas, imprimis M. Vitum, veterem amicum & solidum. Si quid novi e prelis prodiisset, fac quaeso fruar. Expensas restituet Sebast. Honold. Do. Invocavit, Anno 1540.

XXII. Casp. Aquilae.

Argumentum.

De statu amicorum, imprimis Io. Honoldi, quaerit; animosque contra terrores imminentium periculorum munitos cupit: in Seb. Frankii παράδοξα censuram exercet, & de v. חסד ab Osiandro dissentit.

G Nuper

NVper summa exspectatione tuas desiderabam literas: sed forte ob ingentia tua negotia scribere tam celeriter non licuit. Quare nunc te obsecro, vt huic nostro adolescenti, redeunti e patria, abundantius literas dare velis, & id, quod hactenus neglectum, vbertim resarcire. Habebis enim interim satis prolixum tempus, quo nostris votis, praesertim de hac immani bellua, Vsura, satisfacere queas. Te enim veneror, & ex animo colo, vt nimirum electum quoddam pietatis vas, e quo non immerito refocillari cupio. Caeterum quia Dominus Sebast. Honoldt domi quoque tunc non erat, reor Augustae fuisse. Rogo, si quid literarum ad me dare vellet, exigere ab eo possis, eo quod nunc tam certum & opportunum nactus sit nuntium; si nolit, tuum tamen conatum laudabo. Libens profecto scire vellem, quidnam egregius iste noster herus, Io. Honold ageret. Nosco autem, quod te quoque amore non modico prosequitur: quare facile subindicare potes, quonam in loco res suae sitae. De corporis adversa valetudine ipse pernovi,

novi, ipsum bonum virum podagra vexari. Quare tantum id quaero, quo animo nunc sit erga verae pietatis negotium. Audio enim plerosque nimis fluctuare & animo incerto vagari, a) ob rumorem bellicum fere animum despondere. Meliora quippe de Io. Honoldo spero, quandoquidem persuasum habet, neque Tartareas portas quid posse adversus nostrum fundamentum, quo aedificati DEI gratia per sacrum Evangelium sumus. Quid bullas, Caesaris minas, Turcarum & Papae incursiones sic formidamus, cum χρισὸς iste noster, dux צְבָאוֹת, deberet esse pavor noster? Is fortiter pro nobis pugnaturus est, modo constantes perduraremus sub ejus vexillo in sanctimonia & pietate. Sed merito requiritur poena digna ob foedam ingratitudinem Germanorum, & nostram oscitantiam. Incidi nuper in παράδοξα b) Sebast. Franck:

a) Nam ex conjunctione, quae putabatur, Caesaris cum Galliarum Rege periculum caussae Evangelicorum imminere credebatur.

b) His & similibus inter Theologos de Seb. Franckio quaestionibus tum factum est, vt in Congressu Smalcaldiae mense Martio & Aprili he-

O DEVM immortalem, quam verſatile ingenium! Iraſcor, quod tam pene nihil honoris ſacro vocali miniſterio verbi attribuit, quaſi omnino ſit theca, vel cortex, vel arcula quaedam, * cum reor ſimiliter eſſe potentiam DEI, modo cor ſerio id inſerat, quod ſacrum verbum per ſonum intulerit. Deinceps nimis ſvaviter applaudit noſtro libero arbitrio, cui quandam ἐνέργειαν tribuit, etiam in ſalutis noſtrae campo. Tu quid de iſtius hominis ſtilo & animo ſentias, rogo, ſi vacat, revela. Aliud audi. Superioribus diebus, ſincero quidem animo, veſtrum Oſiandrum admonui de hac vocula חֶסֶד, cur praeciſe in tota ſcriptura aſſereret non aliter poſſe interpretari, quam beneficentiam, gratiam, Wolthat / Gunſt / cum Lev. 20. & Prov. 14. item 25. Iob. 30. חסד non poteſt aliter transferri, quam perditionem, egeſtatem ſeu ignominiam; quae quidem non cohaerent cum publico ſuo ſcripto, in libello **von Blutſchanden/.** vbi non ſine injuria noſtrum pium Patrem,

bito, communi ſententia libris hominis nota inureretur. *Sekend. lib. III. p. 268. ſq.*

trem, venerandum D. Lutherum, sugillat in eo, quod ipse Osiander tonitruat: Lev. 20. חסד welches unrecht verdeutscht wird / das ist eine Blutschande / sondern soll und muß verdeutschet werden / das ist eine Gnade etc. reliqua tu lege. c) Te judicem & censorem hic statuo de hac nostra controversia. Sentio ex suis scriptis ad me datis, Osiandrum non parum esse commotum. Scribit enim, se nondum poenitere suae sententiae. Si commodum arbitraris, vt rursus ei respondeam & confutem validis argumentis eius opinionem, subindica, quaeso, & instructior prodibo in aciem, quandoquidem ipse iussit. Sed vale bene. 2. post Iudica 1540.

c) Apparent in hac caussa, pariter vt in aliis, signa elatioris in Osiandro animi, qui saepius aciem mentis ei obnubilavit, ne satis videret verum. Ipsam tamen Osiandri sententiam hac in parte non improbat *Chemnitius P. III. LL. CC. de Coniugio. c. III.*

XXIII. a) Erh. Schnepfii.

Amicitiae constantiam pollicetur.

a) De hoc vid. Melch. Adamus.

NOn tulimus aegro animo b) discessum vestrum occultum. Sciebamus enim, quali fato vrgeremini. Noli proinde de nostra amicitia dubitare: perseveramus in ea, & ipsam omni officiorum genere alere & confirmare conabimur. Spero illi Christophoro consultum esse per meam commendationem. Stutgardiae V. Sept. 1540.

b) Id factum post conventum Hagenoensem, cui Snepfius interfuit, & ex Theologis Norimbergensibus, vt probabile est, Lincus. Nam & ex Ducatu Virtembergico, & Norimberga aderant Theologi: & Forsterus in epistola sq. Amsdorffius item ep. 32 Lincum in Vormatiensi conventu praesentem fuisse confirmat, vbi coeptum Hagenoae negotium denuo in manibus fuit, iisdem deputatis.

XXIV. a) Io. Forsteri.

Lin-

a) De Forstero nonnulla habet, sed pauca, Melch. Adamus. Augustano Senatui a Luthero 1535. commendatus, ecclesiae minister fuit vsque ad annum 1539. quo a Senatu propter dissidium cum Cellario dimissus, variis in locis & instaurandis ecclesiis, & linguae sanctae docendae operam addixit, cuius rei testes Ratisbona, ditio Hennebergica, & Vitemberga sunt. Ex his literis patet, eum Augusta digressum hoc tempore Tubingae fuisse, postea Norimbergam concessit, vnde Ratisbonam evocatus est.

Lincum ad Colloquium Vormatiense missum egregie excitat & confirmat.

Clarissimo Sacrae Theologiae Doctori & militi Christi probatissimo Vincelao Linco, Domino & majori suo plurimum colendo.

QVod tibi nunc, serioribus occupato negotiis, scribo, Doctor egregie, meus id erga te, vt par est, facit amor, quo vt antea propter eximiam & pietatem tuam & eruditionem, ita nunc quoque ob hanc tuam b) militiam, quam pro CHristi ecclesia sustines, te amplector atque exosculor. Etsi vereor, ne veteratorius ille Spiritus pro sua calliditate non ausit congredi, quod ad verbum DEI & verbi potentiam & virtutem contremiscat ac fugiat: tamen, vt est ipsius ingenium, armis rem expedire & Evangelion CHristi extinguere conabitur. Quare conforta-

b) Ita labores nominat, quos in instituto cum Pontificiis colloquio & consiliis de summa rei ecclesiastica Lincus tum exantlaturus erat.

re, viriliter age, esto robustus, & confortetur cor tuum. Habemus, qui pro nobis pugnet, Dominum Zebaoth; & is si est pro nobis, (quod equidem haudquaquam dubito) quis contra nos? Et esto sane, vt astu nos superent, & vi ac tyrannide nos opprimant, quid tum postea? *Scientes*, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque alia creatura nos a dilectione DEI, quae in CHristo IEsu Domino nostro est, nos seiungere queat. Macte igitur virtute ac magnanimitate esto, & nos Spiritu precum vobis non deerimus. Hoc volui eam ob causam ad te perscribere, Doctor eximie, vt & nos vestri curam & rationem habere cognoscatis. Et licet ipsi in praelium non simus ad missi, tamen quia sarcinarum relictarum curam & custodiam gerimus, ac suspiriis nostris vos pugnantes adiuvamus, aequale praedae gaudium de caesis hostibus sumus reportaturi. Bene vale. Tubingae 2. Ianuarii Anno 1541.

T. Forsterus.

XXV. Io.

XXV. Io. Draconitae.

Argumentum.

De Comitiorum Ratisbonensium statu nonnulla refert.

Doctissimo & Humanissimo Viro, Vincilao Linco, Doctori & Evangelii & omnis humanitatis, Fratri in CHristo.

PAx in CHristo Servatore nostro! Quum apud Consulem Bremensem pranderemus, tuae literae, a) mi Vincilae, sunt Amsterdamo perlatae, in quibus & me salvere jubebas. Ago pro salute gratias. Quid igitur hic agatur vis scire? Hodie Caesar de caussa religionis acturus fertur. Quid spei promittant initia, si non ex aliis cognoris, a me tibi fortasse per-

a) Literae scil. ad Io. Tiemannum, a patria Amsterdamum dictum, Bremensium Pastorem, tum in Comitiis cum consule vrbis praesentem, a Linco scriptae. Acriter annis sequentibus hic Amsterdamus contra Hardenbergium pro sententia Lutheri de S. Coena propugnavit.

perscribetur. Sentio, verum esse, quod dicitur: Cor regis in manu esse DEI, Cor vero Papae b) in manu Diaboli. Quid tibi videtur? Episcopus Salzburgensis galero Cardinalitio redimitus a DEO suo Romano est. Papistae c) Colloquium tam aversantur, quam Diabolus Evangelion. Si vero DEVS est pro nobis, quis contra nos? Sed interim DEVS valde sit orandus, vt propter gratiam in CHristo promissam regnum filii sui IESV promoveat, disrumpantur licet inferorum portae. Si igitur & vos, DEI servi, cum ecclesia CHristi, quae Norimbergae est, pro nobis peccatoribus oraretis Patrem in nomine CHristi, Servatoris nostri, minime gentium diffidimus propediem nos docturos, haec comitia nil aliud fuisse, nisi regni CHristi promotionem. Saluta cum meo, tum d) Magenbuchii nomine, Vitum, Venatorem, e)My-

b) De consiliis Papae vid. *P. Suavis Hist. Conc. Trid. lib. 1. p. m. 102.* & *Sekendorf. lib. III. p. m. 355.*

c) De his vid. *Sekend. p. m. 355.*

d) Medici, vid. *inf. ep. 63.*

e) Mycalum, Dominicum, Baumgartnerum, Blasium, Ebnerum, Grevium hospitem nostrum, sed pene praeterii, hos omnes etiam nomine doctissimi viri f) Curii Stolli, mystae Principis Electoris apud nobilem Heidelbergam. Reliqua ex Hieronymo g) Besoldo, praedocto & modesto juvene, cognosces. Vale & rescribe. Cursim Regenburgi 1541. h)

Ioannes i) Draconites.

e) Michaelem Rotingum indicare videtur, quem Micali nomine appellat etiam *Eobanus Carm. de Schola Norica.*

f) Forte hic est, quem & Henricum Stolonem nominant.

g) Is postea Norimbergae ecclesiastes fuit, & Commentarii Lutheri in Genesin, a Vito Theodoro primum, deinde Michaele Rotingo edi coepti, partem ultimam luci publicae dedit.

h) Mense Aprili, quo actionum Comitialium capta sunt primordia.

i) De cuius vita nonnulla Melch. Adamus. Libros quosdam illius ornavit epigrammatibus *Eobanus*, vid. *Lib. VII. Sylvarum. A.* 1527. Valtershusae primum in Thuringia verbum DEI docuit, a Luthero contra varias adversitates scripta epistola confirmatus, vid. *T. II. Epp. Luth.* f. m. 317. b.

XXVI. Vi-

XXVI. Viti Theodori.

De Colloquio Ratisbonensi, & variis vtriusque partis vitiis.

SI vxor tua peperit, gaudeo: Si non, precor, vt feliciter pariat. Vehementer mihi dolet, quod in tanta exspectatione eorum, quae hic geruntur, nihil dignum literis haberi potest. Adhuc hodie litigant de Confessione: volunt eam, nescio ad quas res, vtilem facere. Philippi sententia scripta bis repudiata est. Quid in hodierna actione futurum sit, nescio. Heri satis gravi oratione rogavit a a) Praesidentibus, primum, vt librum sibi traderent, qui legi solet. Se cum suis intra biduum responsurum ad singulos articulos, quid possit concedi, qvid non. Hic Granvella, suo more incensus, respondit, Caesarem noluisse scripto agi: per hos duos, Bucerum & Philippum stare, quo minus Germaniae, imo toti terrarum orbi, pax firma contin-

a) Hi erant Fridericus Palatinus, & Nic. Granuellanus.

tingat. Nam b) Pistorium audio non adfuisse. Multa tragica dixit, quae recensere non est locus. Philippus petiit secundo, vt excusetur Caesareae Majestati, si posthac non intersit. Non enim videre se, quid ex talibus actionibus vtiliter possit constitui. Hic inclementius multo c) a Granuella est acceptus. Ita bonus homo, & vere sanctus, affligitur, premitur, atteritur, ac si inter duos molares esset positus. Hodie igitur iterum conveniunt. Suspecta nobis multa sunt. Principes d) non satis firmi sunt. Aliqui enim optarent, quibuscunque rationibus constitui pacem, vt liceret eis sine metu & extra periculum esse. Itaque lentius procedunt Theologorum consilia. Profecto omnia plenissima periculorum e) & insidiarum sunt. Ideo per

b) Qui Caesaris voluntate cum Bucero & Melanchthone ad hoc colloquium lectus erat.

c) Inde nata Melanchthoni necessitas, Caesaris per literas rectius edocendi, quae extant in *Collectione Pezeliana P. I. p. 453.*

d) De Landgravio nonnulla extant in *Sekend. l. c. p. 354. sqq.* Eodem consilio legati ex Comitiis videntur ad Lutherum missi. *ib. p. 363. sqq.*

e) Convenit illa Melanchthonis vox, qua non in-

per CHristum vos communiter omnes oro, vt primum pro gloria CHristi, & doctrinae puritate, deinde etiam pro nostra salute rogetis in ecclesiis vestris. Scribere non audeo omnia. Sed ea aliquando coram exponam, quanquam satis significavi. Vtrimque periculum est, & ab adversariis, & a nostris, qui cum suam auctoritatem interponere debebant, aliud agunt, vt discamus illud: Nolite confidere in Principibus. Tanto diligentius orabitis contra Satanam, & orationi etiam, sicut ego soleo, addetis imprecationes, ne successum habeant impia consilia. Amen. Datae postridie Cantate 1541. Collegis communicabis haec, & salutabis coniugem tuam meo nomine.

f) Vitus Theodorus.

venire se dixit, quomodo humano consilio laquei isti ab Evangelicis evitarentur. *Seckend. l. c. p. 353.*

f) De hoc *Melchior Adamus.* Eiusdem vitam conscripsisse fertur Andr. Osiandri gener, *Io. Funccius.*

XXVII. G.

XXVII. G. Spalatini.

Argumentum.

De Carolo V. Imp: novo genere morbi: de Schola Altenburgensi, & rebus domesticis.

TVas literas, mi amantissime & Reverende Vincilae, etsi terribilia & horrenda nunciantes, tamen vel hoc nomine sunt gratissimae, quod tam plane testantur, te adhuc veterem & constantem esse nostrum amicum. Pro quo coelesti munere gratias merito agimus primum DEO Patri misericordiarum, deinde & tibi, quod hoc loco & meos & me habes. Poteris igitur vicissim eadem de me polliceri. Vtinam vero brevi meliora a) & jucundiora de Imperatore Carolo V. sequantur nova! Id quod multi sperant futurum. Nam inter eas, quas hactenus legi, novitates non convenit. Scribunt enim,

a) Pertinent haec ad infelicem illam Caroli V. expeditionem Algerianam, de qua gravissimi tum per Europam differebantur nuncii, Caesarque ipse naufragio periisse dicebatur.

enim, vt Genuenſes peſſima, ita Patavini optima. Quae res mihi ſpem iniecit, Imperatoris res meliore eſſe loco, quam fama ſparſerit. Porro peſte apud nos & finitimas gentes & nationes non ita laboratur, DEO ſit laus. Sed novo vexantur morbo, tam incognito medicis, vt nulla poſſint remedia adhibere aegrotantibus, contenti ſuaſiſſe bonam rationem diaetae. Pauci etiam eo moriuntur, exceptis ſenibus & pueris. Saepe totae domus hoc morbo correptae fuere. Mihi coniux chariſſima b) ad 12. hebdomadas graviſſime laboravit, cum febri, calculo & neſcio quibus non morbis ad mortem conflictata, vixdum etiam plane confirmata. Dolet mihi graviter diſceſſiſſe c) Grynaeum, & Bucero vxorem & liberos. Quamvis feliciter cum his agitur, qui in Domino magis obdormiunt, quam moriuntur. Evadunt enim omnia huius ſeculi & corru-

b) Meibomius quidem inter maxima domus litigia Spalatinum egiſſe in Introd. ad Hiſtor. obſervat, verum ea non ab vxore, ſed ſocru mota, Luther declarat epiſtola, a *Schlegelio* edita cum *Vita Spalatini*, p. 246.

c) Simonem puta,

ruptissimi & ingratissimi incommoda, vt infinita pene, ita grauissima, quia nouissimis & pessimis mundi ruinam minantis temporibus nata. Scholam habemus hic Aldenburgi optime constitutam & frequentem, ad 200. & amplius discipulos; Ludi moderatorem Andream d) Misenum, eruditum Graecae, Latinae, Hebraicae, mercede 80. flor. exceptis accidentalibus & frumento. Sed vix vnus aut alter fovet discipulos. Nosti enim civium nostrorum res esse e) tenuissimas. Neque facile tibi suaserim his periculosis temporibus extrudendum vel huc, vel alio filium, donec videas, quo pestis & bellorum minae sint evasurae. Iam Dux Mauri-

d) Lucem hinc capiunt, quae Spalatinus ad Camerarium, in literis inter epistolas Eobani Hessi ab hoc editis, habet, vbi Misenum primum ludi Aldenburgensis magistrum vocat, non a prima Scholae constitutione, sed quod inter collegas primo & praecipuo loco esset. Nam ante eum A. 1525. iam Dieter. Reismannus fuit. Vid. *Schlegel. in Vita Spalat. p. 139.* Hinc etiam patet, isti Spalatinianae ad Camerarium epistolae mendose annum 1522. adscriptum esse.

e) Id profitetur etiam 1523. Lincus concione von Arbeit und Betteln. Vid. *Schlegel. l. c. p. 81.*

tius conventum habet Lipſiae. Propediem Principes noſtri habebunt Vinariae, pro collatione & exactione contra Turcam. Ego, quod fauſtum felixque ſit, aedes Simonis f) Raſcae emptas * certe magno emptas, non tamen ſine duobus agris. Si g) exolviſſem, daret Dominus conjugi & liberis, vnde me defuncto panem haberent. Sed incidunt bella, incidit collatio, quae multas difficultates rerum non ſolum publicarum, ſed etiam privatarum vbique gentium invehent. Cur autem non patienter feram, quae video non cum paucis, ſed cum plurimis ferenda? Datae die S. Stephani h) 1542.

f) Raſcae huius mentio in epiſtolis eſt a *Schlegelio Vitae Spalatini* adiunctis *p. 209. & 234.*

* deeſt nonnihil.

g) De hac emptione plurib. *Schlegel. l. c. p. 164. ſq.*

h) Vid. ad epiſt. X. not. (e).

XXVIII. Io. Langi.

Temporum miſeriam deplorat.

Doctiſſimo ac Integerrimo Viro, Domino Doctori Vincislao Lin-

Lincko, apud Norinbergenses Ecclesiastae Evangelico, in CHristo reverendo suo.

a) Ioannes Langus Doctor.

NOn volui committere, vt tibi cum hoc meo cive non scriberem. Is etenim te probe novit, & diu fuit Norinbergae in Myropoliis. Deinde mihi aliquid consolationis concedere videtur, dum ad veteres meos amicos scribo, & illi ad me vicissim. Equidem in mundo nullum solatium solidum video, nisi verbum

 DEI,

a) Hic Augustinianorum Erfurtensium primum Prior, deinde Vicarius medius, Luthero assensus A. 1522. cucullum exuit, & egregiam Erfurti in emendandis sacris populoque instituendo operam navavit. Circa A. 1525. vxorem duxit. Inter praecipuos Lutheri amicos, quod multae ad eum perscriptae, atque in duos Epp. Lutheri Tomos relatae, testantur epistolae, eique superstes fuit: ab aliis quoque, inprimis Eobano Hesso, quum Erfurti ageret, doctrinae atque ingenii nomine prae ceteris cultus. Huius aliquot ad Mutianum epistolas recensuit *Tenzelius in App. ad Historias Gothanae supplementum*, p. 31. itemque *T. 1. Bibl. Cur.* inter reliquias Lutheri numerat Psalterium, quod Lango a Luthero dono datum esse, huius inscripta manus testetur.

DEI, & fidos amicos, in quorum ſinus liceat affectus effundere: & illi quoque pauciores fiunt hac tam periculoſa tempeſtate. Miſeranda & horrenda de Turca feruntur; Principes dormitant vel voluptuantur, & interim pecunias corradunt rationibus quibusvis: Populus miris modis ἐπικερίζει τε καὶ σαρδαναπαλίζει: graccantur omnes fere & pergraecantur, & nos nihil, niſi miſerias, experimur. Ego iam δυσπνοίᾳ καὶ ὀρθοπνοίᾳ laboravi aliquot diebus, donec hic morbus mutatus eſt in veterem ποδάγραν, quae me occidere conatur, niſi brevi increpet CHRISTVS. Apud nos fertur, Ferdinandum Regem apud vos eſſe, venturumque eodem Electorem Saxoniae. Miramur, quid iam cum miſeris Viennenſibus agatur, & an verum ſit; quod tam prope ſit Turca. Quid facit Imperator? quid regnum b) ſacroſanctum Romanum? O miſeros nos, quo nos diſcordia, & illud ma-

b) Perfecit tum iſte a Turcis metus, vt magna Ferdinando auxilia ab Imperii Principibus mitterentur.

maledictum Plus c) vltra, perduxit? Mori nunc esset lucrum, si CHristo placeret. Et est tamen adhuc tanta miseria in ecclesiis nostris, vt opus esset nostrum multo plurimis. Moderata illa ingenia defunguntur, callida & νεόφυτα turgent, audent quaevis, irritant Magistratus. DEVS bene vertat & gubernet ecclesiam suam! Amen. 4ta Invocavit 1542.

c) Symbolum Caroli V. Imp. & ambitionum commune proh dolor! magnorum ingeniorum, & excelsae fortunae malum, notat.

XXIX. Nic. Amsdorfii.

Consilium suum, quo se Episcopum Numburgensem creari sivit, explicat, & de obitu Carolostadii quaedam addit.

Venerando ac doctissimo Theologo, D. Vinceslao Linco, CHristi ministro Norinbergae, in CHristo Fratri & Domino suo amantissimo

a) Nic. Amsdorff.

Literas tuas, mi in Christo frater charissime Vinceslae, grato animo accepi. Admonent enim, ad hortantur & confortant me in hoc b) misero meo statu, quem tantum in Satanae & suorum sacrificulorum odium suscepi, vt DEI gloria clarius in orbe terrarum illucesceret. Longe enim melius, honorificentius & commodius vixi Magdeburgae, quam hic nunc vivo, solo titulo dempto, quo in toto mundo nihil vanius est & futilius. Sed quia DEVS sic voluit, ideo ejus voluntas fiat ad gloriam nominis sui, & mei misereatur, vt nihil eorum, quae suae gloriae contrariantur, committam. Aratrum c) illud nihil timeo, neque Papam aut puppam; quales quales & quanti sint,

DEVS

a) De Amsdorfio quaedam habes apud *Melch. Adamum*, multa etiam in *Lutheri Epistolis* conf. *Sekendorf.*

b) Haec ad veterem amicum candide scripta, facile ab ambitionis labe in isto negotio absoluunt Amsdorfium.

c) Iulium Pflugium intelligit, a Canonicis electum, & paucis post annis, Caroli Imp. armis victricibus, expulso Amsdorfio, in sede Numburgensi collocatum.

DEVS illis maior est. Ille faciat ad gloriam nominis sui, quaecunque voluerit. Ego sum lutum eius & ipse est figulus. Vtinam in meam Magdeburgam me retruderet ad populum Senatumque optimum & sanctissimum, erga CHristi ministros ita affectum, vt in Germania similem civitatem non habeat ipsa, etiam quanta sit tua d) Sodoma. Mira & magna de Carolstadio e) scripsisti. Vtinam iis commotus poenitentiam egisset & pie obiisset. Quam anxie mortem timebat homo miser! Puto eum ex isto spectro tantos animi cruciatus & cordis dolores hausisse, vt ipsum occiderent. DEVS nostri misereatur! Amen. Vale in CHristo! 21. Aprilis 1542, in CZeitz.

d) Ita Norimbergam liberiori voce appellat. Solent enim vrbes praegrandes ac populosae magnorum quoque scelerum theatra esse.

e) Apparet hinc, famam de Spectro, quo territus Carolostadius mortem obierit, tum temporis longe lateque disseminatam fuisse. Cui quae opponatur, an satis idonea sit Boquini, vtut tum Basileae praesentis, auctoritas, alibi dispiciendum.

XXX. G.

XXX. G. Spalatini.

De Disſidio electoris Io. Friderici & Ducis Mauritii, redintegrataque concordia perſcribit.

TV vero, Rev. D. D Vincilae, quid agis? Quid item tui? Noſtri, quod ſciam, mediocriter valent. Atque vtinam vos & veſtri omnes! Nos, his peſſimis temporibus ne quid deſit malorum, parum abfuit, quin etiam invitos traxiſſent a) ad arma Vicini, & quidem illi ipſi, a quibus minime omnium decebat. Sed DEO pacis ſit laus & gloria, qui tam ſubito, adiutore fideli b) ac ſincero pacificatore Philippo Heſſorum Principe, agnatos mira & celeritate & dexteritate ſic re-

a) De tumultu in cauſſa Wurzenſi haec loquuntur, quem poſtea iocoſo nomine den Fladen-Krieg appellarunt.

b) Patet hinc, literas Lutheri in hac cauſſa ſcriptas, & *T. VIII. Altenb. p. 42.* inſertas, non fuiſſe tum emiſſas in vulgus, quum intercedente Philippi, Cattorum Principis, opera, concordia inter Principes opinione citius reſtituta eſſet. Neque enim tacuiſſet Spalatinus, ſi in publicum emanaſſet, Lutheri huic negotio impenſum ſtudium.

reconciliavit, vt proiectis armis pacem amplecterentur ambo, det Deus, perpetuam. Quid enim miserius esset nobis omnibus, etiam bellis plusquam civilibus, quin domesticis, dissidentibns? Bene vale, cum tota vt domo, ita Ecclesia, & pro nobis omnibus ora. Celerrime d. 11. Maii 1542. Commendo tibi isthic omnes, quia tot annos, semper tuos.

XXXI. Casp. Aquilae.

Affinem se Linco esse, significat & gaudet.

IMmortales Deo meo per IEsum CHristum gratias ago, quod te, venerabilem & vere pium senem, sacri Evangelii ministrum, & mihi longe omnium charissimum patronum, audio mihi, & praecipue familiae, ex parte vxoris meae, esse affinem. Et vt certior hac de re sis, meus iste charissimus affinis, Iohannes Kühn / de hisce rebus te certiorem reddet. Tua enim honestissima coniux est mihi affinis, imo amici vel patrui D. Magistri N. Fueß vxe-

vxoris soror. Quare te rogo, vt me non solum vt veterem amicum colas ob iucunda olim colloquia apud a) Dn. Io. Honoldum, piae memoriae: Sed quia nunc arctiori vinculo affinitatis constricti sumus, flagrantiori mutua prosequemur benevolentia. Nihil autem vehementius a te desiderare possum, nisi vt tuis ardentissimis votis apud CHristum pro me intercedas, vt suae ecclesiae bene & constanter praeesse valeamus in CHristi gloriam & ecclesiae salutem, Amen. Rescribe, si quid habes. Apud nos plane nihil boni, nisi quod terra vndique b) bellico tumultu concutitur, & gliscit cruenta manu gladios strictos serere mutuo. DEVS, pacis auctor, avertat, & nos protegat ab hoc pestilenti Marte! Bene vale. Datae Saalfeld secunda post Io. Bapt. 1542.

a) De quo sup. ep. 22.
b) Conversus est iste belli apparatus in Henricum Brunsuicensem, quem paulo post Saxo & Hassus provinciis avitis eiecerunt.

XXXII. Nic-

XXXII. Nic. Amsdorfii.

Familiaris epistola. Sacrificulorum scelus in milites contra Turcas missos commemorat.

HVnc annum futurum tibi profuturum opto & desidero ex toto corde, mi charissime in CHristo Frater Venceslae. Oblata hac pulcherrima occasione non potui tibi non scribere ob veterem amicitiam & consuetudinem, qua simul viximus, tum ob renovatam Wormatiae, & per epistolam tuam iam tertio renovatam, quae plena erat humanitatis & consolationis. Vidi enim in ea veterem animum, veterem amicum, non fucatum, verum fidum, constantem & perpetuum. Talem quoque perpetuo me habebis, mi amantissime Vinceslae. Respondi tamen ad eam, sed nescio, an vidisti responsoriam nostram. In Comitiis a) vestris multa & magna sunt tractanda, & certe maiora & magis ar-

ardua, quam vnquam: quid autem perficient proceres imperii, & Dies & tempus indicabunt. Sacrificuli per Vngaros, pro quibus pugnaturi eramus, nostros milites veneno extinxerunt, circiter 30000. His vale in CHristo, mi Frater venerande & amantissime; iam non licet plura propter festinationem oratorum b) Pomerani. In carcere, arce volebam dicere nostra. C Zeitz 8. Jan. 1543.

a) Ea intelligit, quae hoc anno Norimbergae Caesaris auspiciis a Rege Ferdinando habita sunt.
b) Qui tum per Saxoniam iter ad Comitia Norimbergensia fecerunt.

XXXIII. Nic. Amsdorfii.

Argumentum.

De metu belli Turcici: bello Iuliacensi: Caesaris morbo.

CVm Pomerano Oratore tibi proxime scripsi, mi venerande & amantissime Vincislae, & nunc per hunc pium & fidelem verbi ministrum ad nos recursurum tibi

tibi has salutationes scribere placuit. Neque habeo, quae digna ad te perscribenda sunt, quia in angulo mundi sedeo nihil audiens, neque vel verbum scio, quid apud vos in Comitiis agatur. Si non habebimus inter nos intestinum bellum, tum certe Turcicum futurum puto. Nostri omnes dormiunt, & contemnunt tam potentem hostem, cuius potentiam vix represserimus etiam iunctis concorditer omnibus nostris viribus. Iam quid fiet in tanta discordia Principum Germaniae? Nisi Dominus mirificabit misericordias suas adversus resistentes dexterae suae, tum actum erit de Germania ante paucos annos. Iuliacense a) bellum nondum sedatum erat: puto ex quibusdam coniecturis, illud nunc in tractatu esse. Dominus det successum sperantibus in se, & glorificet timentibus eum! Caesar dicitur phthisi laborare, & graviter: tum vix ad comitia venient. Ego pro senectute mea sanus sum, licet quotidie is morbus

a) Hoc tamen bellum ab ipso Caesare administratum hoc anno finem accepit, Duce Iuliacensi ad pacem petendam adacto.

bus crescat, & imbecillior fiam. Vale in CHRISTO, mi venerande Frater, & veterum amicorum amantissime: omnes coaetanei nostri decesserunt, praeter vnum Ieronymum b) Schurff. C Zeitz 27. Ian. 1543.

b) De quo *Melch. Adamus in Vitis ICtorum.* Religiosiorem eo & innocentiorem ICtum se non vidisse, Ioach. Bergerus memorabili voce testatum reliquit, *ap. eund.*

XXXIV. Io. Langi.

Dolorem suum de perturbatione ecclesiae & reip. testatur, & quid in comitiis agatur, scire expetit.

POsteaquam hic Rhomanus Myropola ad vos proficisci voluit, non volui designare, vt ad te non scriberem, vt ad amicum & veterem & constantem, quae amicitia nunc rara esse solet. Equidem ad te eam ob caussam praecipue scribo, vt me super Ecclesiae Christianae atque totius reip. Statu consoleris. Haec vna est cura sollicitudoque, quae me angat. Vtinam haec, quae apud vos sunt comitia, reip. ac CHri-

CHristi ecclesiae bene cedant! Apud nos magnae sunt querelae de a) Marchione, ac de neglectu circa milites in Hungaria; & nescitur, vbinam Caesar sit. Ferdinandus forte apud vos est, sed qua cum auctoritate, nescimus. Episcopi non tarde veniunt ad comitia, sed tempori sapiunt, & moliuntur pro suo more τὰ ἄῤῥητα. Verum non est consilium contra Dominum, qui dissipat consilia impiorum. Oro te mi Doctor, vt me de his aliisque rebus, quae apud vos geruntur, certiorem reddas, vt etiam Dominum Deum, vel laudare, vel precibus pulsare possimus. Quid vero vos sciatis de pessimo b) Mezentio, rescifcere cupimus. Vale. Erphurdiae 17. Febr. Anno 1543.

a) Ioachimo Electore, Duce belli in Hungaria.
b) Henricum Brunsuicensem notat.

XXXV. a) Petri Plateani.

De

a) Petrus hic Plateanus natione Brabantinus tandem in Marpurgensi Academia docuit, vt ex Catalogo Prof. Marp. refert *Io. Dietericus*, *T. VIII. dispp. Giss. p. m. 188.* Complures ad eum extant Philippi epistolae, a *Manlio* collectae. Eidem Melanchthon donavit Pinda-

De filio Linci, & rationibus pecuniariis.

NIhil facio libentius, quam bene mereri de eis, qui propagandae gloriae CHristi operam & studium declararunt. Cupiebam itaque perficere, vt filius tuus hic gratis aleretur. Sed obstabat mihi aetas eius & eruditio. Hoc quod potui, praestiti, vt sumptu quam minimo & in ludi vicinia aleretur, & apud homines, vt ego quidem arbitror, non malos. Pollicitus autem fui hospiti, singulis anni quadrantibus numerandos aureos duos, quo aequiore pretio modios aliquot frumenti emere posset, eamque conditionem statim Parocho & Eringio, quibus tu videbaris omnia mandasse, indicavi; & apud hospitem quidem pro te, apud illos autem pro hospite spopondi. Ac tunc quidem statim accepit a mercatore quodam, ve-

strate,

rum, a Caloërgo Romae editum; his titulo libri ascriptis:

D. Platcano, praedito egregia
Doctrina & virtute
Donat hunc codicem
Philippus Melanchthon. 1557.

Extat hunc in Bibliotheca Academiae Vitembergensis publica.

ſtrate, vt opinor. Nuper autem in mercatu noſtro venit ad me & promiſſi admonuit. Ibi ego, certus de illorum in te voluntate, & de tua viciſſim, quam de illis habere mihi es viſus, fiducia, iuſſi vt alterutrum accederet: ait, ſe conveniſſe vtrumque; dixiſſe autem eos, non dediſſe mercatorem, a quo ante acceperant; ſibi autem, vt tuo nomine darent, non eſſe integrum. Quod vt audivi, nec ego dare volui: (credo te facile cauſſam intelligere,) tamen pollicitus ſum, ſi ceſſaretur, fidem meam me liberaturum. Videbatur enim filio renunciaturus hoſpitium. Egi blande cum homine, vt ſaltem paucos dies, dum tibi ſcriberem, quieſceret. Si igitur gratum tibi eſt officium meum, cura, vt ſtato tempore mittatur pecunia, (eſt enim homo tenuis, manuario opificio victum quaeritans) aut manda, vt tuo nomine ſolvatur. De mea fide, voluntate ac ſtudio in te non debes dubitare. Vale. ii. Cal. Mart. 1543.

XXXVI. Petri Plateani.

Iterum de filio Linci, eiusque hospite.

HOspes filii a Parocho pecuniam promissam accepit: Sed causatur, filium tuum non esse idoneum, vt suum filium erudiat; fortassis quod minus auctoritatis apud eum teneat: Puer enim a puero plerumque discere fastidit: tamen si vnum florenum adiicere velis, tum se retenturum eum ad finem anni, sed ita, vt nihil ei prorsus negotii, nec puero erudiendo, nec aliis in rebus exhibeatur, sed vt liber suis studiis possit vacare: eamque pecuniam mitti sibi ad mercatum nostrum postulat. Si meum consilium requiris, videtur mihi satis commode esse puer, & necdum est idoneus ad paedagogiam aliquam, vt ei praeficiatur. Tamen, quod tibi videtur, facias. Ego, quod etiam antea scripsi, efficiam profecto, ne meam possis accusare fidem. An hospes Iacobi Laurentii, (is Presbyter est quidam) etiam filium tuum recepturus esset, si requireretur, & an id e

rè

re pueri sit, non scio. Dominus Vitus fortassis aliquid ex suo puero compertius habet. Ego in alterius domibus non sum notus. Vale. 9. Cal. Maii. 43.

XXXVII. Io. Langi.

Dolorem haec epistola prae se fert de praesentibus, & metum de futuris, tandem tamen animum fiducia in Deum reposita confirmat.

QVid afferunt nobis haec vestra longa lataque a) comitia, nisi forte marsupia vacua, & vobis incommoda multa, vt sunt blasphemiae adversus Dominum, & adversus CHristum eius, scortationes, stupra, adulteria, ebrietates & alii nobilium & purpuratorum fructus secundum carnem? Nos hic dolemus & gemimus, quum nihil alioqui possimus, non parum conturbati ob valetudinem admodum adversam D. D. Lutheri, Patris nostri. Quid

a) Quae tum Norimbergae per trimestre inde a mense Februario durarunt.

videbimus, b) si hic moriatur? Exurgent centum iuvenes, qui Lutherum referre volent. O quam aegre exspectat Agricola, quam difficulter D. Iacobellus c) Schenkius, & reliqui! nisi sint aliqui etiam d) in climate vestro. Conserva hunc virum, Domine Deus, quem etiam Diabolus veretur! quid cogitamus de e) Electore Principe nostro, tanta mole, tam gravi corpore? Vbi erit alius, qui hac auctoritate in mundo polleat? quid si Caesariani & Mezentiani hoc maxime agunt, vt omnia differant, an hi duo *) intercidere velint. In pecuniis f) exantlandis metuo, ne illud effecerint, quod voluerunt. Et tamen, si DEVS pro nobis, quis

b) Nimis quidem verus hic vates Langus fuit, vt tempora Lutheri mortem consecuta satis docuerunt. Io. Agricolae ingenium cum ante ex controversia de vsu legis, tum post ex edicto Carolino A. 1548. cuius hic cum Iulio Pflugio & Mich. Sidonio architectus fuit, patuit.

c) Iacobus hic Schenckius Agricolae in quaestione de vsu legis assensus erat.

d) Andream Osiandrum videtur tacite notare.

e) Io. Friderico, Saxone.

*) Videtur hic subesse mendum.

f) Argentum intelligit, anno superiori in bellum Turcicum ab Evangelicis collatum.

quis contra nos? Et breve est tempus: iudicium Domini aderit. DEVS misereatur nostri,& benedicat nobis! Illuminet vultum super nos! Ego tres hebdomadas graviter decubui in asthmate, iam incipit podagra. Vale in CHristo. Erphurdiae do: Vocem Iucunditatis 1543.

XXXIIX. Petri Plateani.

De Filio Linci, & Paedagogii constitutione.

CVravi, vt filius tuus esset cum Laurentio in eodem hospitio: Sed hospes noluit 4. Gr. accipere in septimanam. A Laurentio tres accipit, quod is filium eius doceat,& in ludum ducat. Dabitur a me opera, ne te eius pecuniae poeniteat, nec tamen cessabo interea, si melior aliqua conditio offeratur. De me omnia velim tibi pollicearis. Puero scribas, me illum accusare, quod vestem, libros & reliquas res suas male curet, & est revera in ea re non sine culpa. Quod scribis te cupere, vt discat aliis ministrare, fiet sane hoc,

hoc, vbi & literis & moribꝰ paullulum progressus fuerit. Quamobrem hortare eum, ne hic sibi ipsi obstet. A me omnia fient, quae fieri aequum est. Munus tuum mihi est gratissimum, quanquam nullum a te neque exspectabam neq; cupiebam: & pro hoc ego ipse vicissim hospiti nostrae vulgaris monetae florenum pueri nomine numerabo; alterum a mercatore accepi, vt duos possim hospiti dare; sic enim inter nos convenerat. Molimur hic pulcherrimum Paedagogium, sed Sathanas valde conatus nostros oppugnat. Ora tu cum tuis pro nobis ad communem Patrem per CHristum, vt diaboli impetus frangat, & opus, quod operatus est in nobis, confirmet. Vale. 8. Calend. Iun. 1543.

XXXIX. G. Spalatini.

De Michaele Chiliano, cognato; & itinere suo Vitembergensi; Adventu item Caesaris in Germaniam, & Bibliotheca Electorali scribit.

PRo tuis proximis tam novitatibus, quam literis, tibi gratias plurimas ago.

Quod

Quod petis, cognatum meum, Michaelem a) Chilianum, DEO adiutore, libenter habeo commendatum, tum quod iure cognationis hoc officii DEO ipsi debeam, tum, quod spero nostrae de eo spei non vulgari egregie responsurum. Profectus huc Vitenbergam his diebus eum in meo vectabulo mihi ab Illustrissimo Principe nostro, Electore Saxoniae, *) adduxi: Vbi, DEO sit laus & gratia, patri misericordiarum, & omnis & gratiae & spei, vt divi Pauli verbis vtar, vt Reverendissimum Patrem nostrum, D.D. Martinum Lutherum, ita reliquos & ecclesiae & Scholae proceres sanos & incolumes inveni: quos vtinam suae ecclesiae DEVS & Dominus noster diu servet, praesertim his pessimis, quia novissimis & decrepitae aetatis, temporibus! Nova adeo magna & te digna non habeo, alioqui tecum vel libentissime communicaturus. De adventu vel potius reditu b) Imperatoris Caroli in

a) Mich. hic Chilianus, postea Altenburgensis Scholae Rector, & Spalatini, in Anna filia, gener fuit. Vid. *Schlegel. Vit. Spalat.* §. 26.

*) Deest aliquid, f. add. *donato.*

b) Transit tum potius Imperator Germaniam

Germaniam Aldenburgi mihi renunciavit nudius tertius, ſtatim huc Vitenbergam profecturo * Hoc vero ex Doctore Melchiore c) Clingo Iuris-Conſulto, pridie Schmollae audiviſſe. De quo ſi quidacceperis certi,ſcribe, quaeſo,mihi. In hoc enim ſum, vos Norimbergae id citius multis, vt talium rerum cupidisſimos, reſcituros. Interea optime vale. Curſim ex arce Vitenbergenſi, mandato Principis Bibliothecam d) viſens, certe optime & inſtructam & conſtitutam, DEO ſit gratia! Eſt enim rarum in Principibus & Regibus donum, curare literas, architectari Bibliothecas, favere ingeniis & literis vere liberalibus. Dominica poſt Viti, 1543.

ex Italia ab bellum Iuliacenſe properans.

*) Legebatur hic in exemplari meo: *per meum amarum eſt:* nullo ſenſu. Deeſſe videtur h. l. eius, qui Spalatino nunciavit, nomen.

c) Qui paullo ante Cancellarius Electoris, tum inter Iureconſultos Vitembergenſes erat.

d) Cuius ei cura iam a Friderico III. Electore commendata, magnoque ſtudio ſuſcepta & praeſtita fuit. Vid. *Schlegel. Vit. Spalat.* ¶. 8. & 30.

XL. Iusti Menii.

De Epistola Lutheri ad Cruciburgenses.

Egregia Doctrina & pietate praedito viro D. Vinceslao Linco, S. Theologiae Doctori, Concionatori Norimbergensi, Domino & amico praecipuo suo a) Iustus Menius.

CVm D. Eberartus b) Thann, ex Comitiis isthinc reversus tuum mihi epistolium Isnaco huc transmitteret, quo petebas, vt Reverendi Patris D. Lutheri epistolam ad Cruciburgenses c) scriptam publice

a) Eius vitam, sed nimis ieiune, describit *Melch. Adamus*. Plura de eo passim *Sekendorfius*.

b) Praefectus Isenacensis, spectata fide & prudentia minister Saxonis, in multis magnisque negotiis cum laude versatus.

c) Inserta illa est postea *T. VIII. Altenb. p. m. 274.* Quod confirmat ex Spangenbergio *Sagittarius* in nota margini adiecta, cui haec Menii epistola pulcre convenit. *Sekendorfius* tamen *in Hist. Luth. P. III. p. 468.* ad Arnstadios pertinere coniecit, ob Morlini caussam. Sed id negotium scripta hac epistola demum contigit, aliisque Lutheri literis notatur.

blice edi curarem, valde mirabar, quomodo illa ad te pervenisset, cum D. Lutherus Pastori Crucibergensi, pro quo scripta erat, tanto studio mandasset, vt ne cui mortalium illam describendam, imo ne legendam quidem, quam D. Myconio & mihi legendam exhiberet. Non licuit itaque ea in re tibi gratificari, imo ne stomacho meo satisfacere, qui & ipse idem factum cupiebam. Proinde non aegre feres, quod contra auctoris voluntatem & consilium edita non sit. Nondum est sortita catastrophen suam haec fabula, & forte res ipsa coget, vt adhuc edatur. Rescivere autem Cruciburgenses, venisse vsque ad vos epistolae exemplum, nec veriti sunt Pastorem insimulare, vt qui ipse ad vos misisset, sed est excusatus per eos, qui se, per quos ad vos venisset, compertum habere affirmabant. Haec scribo, mi charissime Dne D. ne nihil scribam. Nova enim quae scribam, prorsus nihil habeo, exspecto abs te autem, maxime de rebus Hungaricis. Bene vale. Datum Mulhusiae V. post d) Dionysii 1543.

d) Duorum celebrium Dionysiorum publice quos

XLI. Pe-

XLI. Petri Plateani.

Argumentum.

Gratias agit pro missa Erasmi effigie, & officia erga Filium Linci pollicetur.

PRo Erasmi effigie gratias tibi ago: fuit enim gratissima. Dilexit ille me: ego vicissim illum ardentissime amavi, & mortui memoriam colo, colamque dum vivo. Tuum autem munus etiam artificium a) egregie commendavit; sed dabo operam, vt in filio erudiendo munus hoc compensetur. Nunc scribere de eo nihil possum; paucis his diebus in ludum redii, postquam octo septimanas febri decubui. Nunc autem, quod quot annis bis fieri solet, singulorum puerorum

annis renovatur memoria, alterius Corinthii, alterius Atheniensis. Quorum illa a. d. VI. Id. Apr. haec a. d. V. Id. Oct. incidit. Has autem literas Octobri mense scriptas illud docet, quod Thannius exeunte Aprili adhuc Norimbergae fuit. vid. *Sekendorf. l. c. p. 417.*

a) Forte effigies haec ab Alberto *Durero*, Apelle Germanorum, aut alio ex eius disciplina profecto, picta fuit.

rum progressus exploramus publice, ibi vbi de tuo filio periculum fecerimus, scribam omni diligentia. Quando autem tu in Prochodochio animarum, D. Hieronymus autem Schallerus corporum Medicum agit, scripsi ei & oravi, vt mihi selibram optimae Theriacae emi curet. Quaeso, vt in hac re, vt fideliter possit perfici, & me, & illum, si quid potes, adiuves. Si nihil aliud, ores illum, vt hanc mihi operam dare non gravetur. 15. Cal. Novembr. 43.

XLII. G. Spalatini.

Calamitates seculi & Speciatim Hungariae, deplorat. De Frid. Nausea, & fratre Stephano nonnulla addit.

VEhementer mihi gratum facis, Rev. D. Doctor Vincilae, quod toties scribis. Agnosco enim vetus tuum & perpetuum erga me & meos studium, favorem & amorem. Praeterea pro tuis novitatibus qualibuscunque, ago tamen gratias multas. Quis enim meliores hoc saeculo

culo det pessimo? Quis etiam commodiores exspectet? Vbique terrarum plus nimio est onerum. Aureum enim & reliqua meliora saecula transierunt: succedit saeculum pessimum, vt spero, consummationi proximum. Quem enim delectet diu in tantis malis immorari? Beatos igitur terque quaterque adventum Domini nostri IEsu CHristi cum gaudio optantes! Pannoniorum nos merito miseret, quicunque aliquid fraternae habemus Charitatis. Periit enim regnum illud florentissimum olim, Turcis iam obnoxium, nedum tributarium. Credo Nauseam a) sic garrire. Qui enim daret meliora Nausea, vere nausea, vt ita dicam, nauseatissima. Novis enim monstris quis prohibeat etiam dare verba nova? Frater b) meus, mihi crede, est commendatus; longe felicior futurus, si in multis non incommodis conditionibus, a me magno labore & negotio impetratis, mansisset.

a) Fridericus hic Nausea inter acerrimos ac impudentissimos Evangelicorum adversarios fuit.
b) Quam misere tandem Stephanus hic obierit, colligere licet ex ep. LXV. quam Langus scripsit.

fiſſet. Sed noluit manere, quia ad currendum & divagandum, vt video, natus, imo etiam ad temere devorandum & abſumendum, quae magnis & multis laboribus alii conſequuntur. Scio enim, quid ſcribam. Habet etiam ab Inclitisſimo Principe noſtro ſatis egregiam beneficentiam, quotannis etiam a me aliquot aureos, ſed quid dicam? Regnum conſumeret ille Lurco meus Stephanus. Bene vale cum tuis. Pridie Cal. Novembris. 1543.

XLIII. G: Spalatini.

Argumentum.

Calamitates temporum, ac vitia hominum accuſat: De rebus Turcicis & ſtatu imperii ſubiicit nonnulla.

Si recte vales, Rev. Domine D. Vincilae, gaudeo: equidem, DEO ſit gratia, cum meis belle valeo, niſi quod coniux mea amantisſima a) nuper pene XI. hebdoma-

a) Ea aliquot poſt maritum annis, vi calculi op-

bdomades cum calculo gravissimo certamine conflictata, pene extincta fuit. Convalescit tamen, DEI gratia, non tam a tam saevo & potenti hoste plene liberata, quam ex eius tyrannide nonnihil revocata respirat, nescio, quamdiu: tam incerta sunt omnia. Te quaeso, quid fiet tandem cum rebus humanis? Tam variant omnia; tam plena sunt omnia armorum; tam parum est vbique candoris; tam plena ὑποκρίσεως omnia, etiam in his, quos diceres sanctissimos; tam parum respondent opera & corda, & verbis & gestibus. Sed sic sunt homines omnes a Deo non servati. Quorsum enim non ruimus omnes DEO non sustinente? Mundo breviter consenescente, imo pereunte, crescunt, adolescunt, reflorescunt mala omnia. Sed haec nobis spes merito est nobis consolatio eximia, propediem venturum CHristum, malis his omnibus finem facturum, & suos liberaturum. Hic enim meliora quis speret? Te mei omnes vna mecum salutant. Si nosti,

pressa ex vivis discessit, A. 1551. Vid. *Schlegel. in Vita Spalatini*, §. *XLI*,

ſti, ſcribe, quaeſo, mihi nomen & familiam Epiſcopi Patavienſis in Bavaria, item Ratisbonenſis, & an iſthic quoque ſit fama, Turcorum b) Imperatorem mortuum eſſe ſexta Decembris; maiorem natu filium cum Sopho bellum gerere; minorem moliri, vt patri ſuccedat in Imperio, fratre germano maiore non tam excluſo, quam offenſo. Bene vale cum tota domo, quam a nobis diligenter ſalutabis, & pro nobis omnibus ora. Curſim Vitae. poſt Laetare. 1544. Vtinam Dominus nobis det bonum finem Comitiorum Spirenſium, hoc eſt, pacem, tum eccleſiae, tum imperio Germanico, ſummopere neceſſariam. Iterum vale.

b) Falſus hic rumor fuit.

XLIV. Iuſti Menii.

Io. Roſam commendat.

Onceſſit huc nuper ex Haſſia a) Io. Roſa, qui cum propter ſingularem fidem

a) Commemoratur etiam inter primos Academiae Ienenſis Profeſſores Io. Roſa, ſed cum hoc non

dem & diligentiam in administratione ecclesiae, cui praeest, mihi percharus sit, est eo etiam nomine mihi charior, quod multos annos notum se tibi familiaremque esse affirmat. Sic enim sentio omnino, te, nisi optimus sit, in familiaritatem tuam neminem prorsus accipere. Quia vero liberos Rosa, interque eos filias nubiles habet, opus quoque habet testimonio nuptiarum seu coniugii sui. Cum itaque isthic duxisse se vxorem suam, atque adeo in tuis aedibus, te patre, nuptias celebrasse dicat, rogavit me, vt flagitaturo abs te testimonium, pro se ipse quoque intercederem, non eo, quod gravatim te id facturum crederet, sed vt ex meis literis intelligeres, se id non temere, sed certis gravibusque de caussis abs te petere. Oro itaque te, mi Domine D. vt id officii viro optimo praestare non graveris, id quod eo facies libentius, si cogitabis, nos in eo hic loco esse, b) vbi de Evangelii doctrina

K per-

confundendus. Is enim Hellingae, pago prope Heldburgum Franconiae sito A. 1531. natus est. Vid. *Adr. Beieri Syll. Prof. Ien. p. 81. 448. & 966.*

b) Muhlhusinos enim, tumultus Munceriani causa

multi non optime sentiunt, sensuri forsan rectius aliquando, vbi melius fuerint instructi. Bene vale, & ora pro me. Datae c) Muhlhusae XIV. Cal. Maii. Anno 1544.

graviter mulctatos, & aliquam pristinae libertatis iacturam passos, foederis Smalcaldici ducibus, ipsique propter eos doctrinae Evangelicae occulte infensiores fuisse, ex rationibus illorum temporum credibile est, vnde & a Pontificiis ad fedus suum Norimbergae in ordines Protestantes percussum sunt invitati.

c) Huc Menius, permittente Saxone, concesserat A. 1542. Pastoris & Superintendentis officio functurus. *Sekend. P. III. Hist. Luth. p. m. 517.* Mansit vsque ad annum 1544. quo Isenacum reversus, successorem habuit Sebastianum Bohemum. Vid. inf. *ep. LVI. & LIX.*

XLV. G. Spalatini.

Argumentum.

Literas Cardinalis Caietani, quibus Friderico Electori respondet, itemque Raphaelis a Linco petit.

SI & tibi, & tuis est bene, gaudeo. Hic enim, DEO sit laus, mediocriter valemus. Ad proximas meas literas spero te mihi

mihi responsurum per Rholhausen ad nos redeuntem, missurumque, si habes, quae petivi, ad primum Tomum operum Latinorum Reverendissimi Patris Domini D. M. Lutheri. Nisi igitur misisti, non desino orare, vt mihi mittas, si vel habes ipse, vel apud vllos isthic invenire poteris, primo epistolam Cardinalis S. Xysti, sive Caietani, a) qua respondit literis Serenissimi Principis nostri Electoris, Saxoniae ducis, Friderici, beatae memoriae, quibus cum Cardinale expostulavit, quod tam indigne eum & accepisset & dimisisset Augustae, in fine vltimorum Comitiorum Imperatoris Maximiliani. Nam Principis nostri epistolae ad Cardinalem Caietanum eo nomine scriptae exemplum sive copiam habeo. Deinde flagitant nostri, imo etiam Reverendissimus Pater D. D. M. Luth. epistolam Raphaëlis b) Cardinalis, ordinis Augustiniani Generalis, ad Principem nostrum Electorem Frideri-

a) Et haec Caietani, & altera Raphaëlis epistola hodieque desideratur.

b) De eo quaedam extant in *Seckendorf. P. I. Hist. Luth. p. 53.*

cum Saxoniae, qua Principem cohortatur, vt sibi caveat a Luthero, ne suscitet, nescio quas Tragoedias. Haec si habes, te obsecro, vt nobiscum communices, quia multis profuturae, & recta Vitenbergam mitte Luthero, quia crebriores illuc, quam huc Aldenburgum, tabellarios & nuncios habes. Gratissimam enim rem multis isto vnico vere sancto feceris officio. Bene vale. Aldenburgi 6. Maii. 1544. postridie transitionis optimi Principis, olim nostri ducis, Friderici, Electoris Saxoniae, anno abhinc XIX.

XLVI. Thomae Venatorii.

Argumentum.

Successum sacrorum puriorum apud Rotenburgenses Linco narrat.

Summae pietatis viro Vinceslao Lynco, apud Norinbergam magno Theologo, Domino suo observando

Tho-

a) Thomas Venatorius.

Salutem & pacem a Domino. Nuncium nactus idoneum, & qui rursus ad nos rediret, committere nolui, quin vel paucissimis verbis, quae hic aguntur, significarem tibi. Magna est Senatus huius vrbis diligentia, ingens studium, vt constituatur ecclesia optime ad verbi dei sanctissimi regulam: & est hodie ecclesia siue templum Spiritus sancti ab omni prorsus abominatione Papistica repurgatum, verbo Dei & Sacramentis & locus & vsus liber factus. Fanum B. Virginis cum suis horis desertum, abactis aliis, duobus ad nos vltro concedentibus sacrificis. Sed qui summam aedem occupant, de ordine Teutonicorum Domini, vt sunt impudentes in sequendis vitiis, ita in recte instituendis ecclesiae rebus voluntatem nostram remorantur non parum: coguntur tamen

a) Vir hic pulchre doctus A. 1525. Linco in Xenodochio Norimbergensi collega datus est, vna cum Volfango Volbrechto. De emendatis Rotenburgi sacris conf. quae in compendio refert *I. L. Hartmannus Concionum Miscellanearum XIVta.* atque ex eo *Sekendorf. in Hist. Luth.*

verbo DEI concedere locum, etiam in summa aede. Ex Monachis nemo nos impugnat palam, canes facti muti, nescientes latrare. Nihil eis Dii gentium rogati respondent. Exclusis publicis concionibus ab templis suis, praeter ruditus asinorum auditur nihil. Nec secus habet Nonnarum infaustus coetus. Haec volui, vt scires in praesentia. Vale diu felix cum tuis omnibus. Ex Rotenburgo ad Tuberam, in Vigilia ascensionis Christianae, 1544.

XLVII. G. Spalatini.

Epistolam Cardinalis denuo petit.

PEr Rholhansen, Rev. D. Doctor, nuper tibi scripsi, sed intempestivus ille tabellario reverso, nihil prorsus neq; abs te, neq; ab aliis amicis quicquam attulit literarum. Quod etsi satis me vrat, tamen quid facerem? Caeterum nunc mirabiliter nactus D. Martinum Pfintzingerum iam hic Altenburgi divertentem isthic Norinbergam haec ad te scribebam, an tandem a te

re-

responsum elicere possem, imo exemplum sive copiam literarum Cardinalis a) Raphaëlis, Augustiniani ordinis olim Generalis, ad Serenissimum Principem nostrum beati nominis Dominum Fridericum, Ducem Saxoniae, contra Reverendissimum Patrem nostrum D. D. M. Lutherum, ne eum tueretur contra Pontificis Romani auctoritatem. Nam eam epistolam aliis in primo tomo operum D. Lutheri volunt Vitenbergae insertam. Ego vero quantumlibet scrutatus plurima, hactenus neque in mea Bibliotheca, neque Torgae, neque alibi invenire potui. Quare obsecro, vt si quid tale habes, saltem Vitenbergam mittas, quod facile poteris: tantum vt habeant etiam eam, si poterit fieri, epistolam. Hic enim ad tanti operis promotionem omnes merito operam nostram conferimus. Quis enim dubitet toti ecclesiae perpetuo profuturum? DEO sit laus! hic mediocriter valemus omnes. Vtinam prosperum Comitiorum Spirensium finem habeamus. Mei

a) Conf. sup. ep. XLV.

omnes vna mecum & tuos & te amantissime salutant. IESV bone, quam pauci, quam rari sumus veteres, tribus Electoribus Saxoniae, amici. Sic est mundus. Dominus det nobis indies maiorem gratiae CHristi notitiam & lucem! Amen. Bene vale cum tuis, ac pro nobis omnibus ora. 3tia post Exaudi 1544.

XLVIII. Th. Venatorii.

Argumentum.

Germaniae male ominatur: Baumgartnerum captum nunciat, & dolet: Osiandri librum de fine mundi vult ad se mitti.

Sacrae Theologiae Doctori, Domino Vinceslao Lynco, apud Norinbergam a sacris concionibus, Domino suo obseruando

Thomas Venatorius.

Quod

QVod vnus tu scribendi ad me officium in te receperis, multis nominibus mihi gratum est, cum praecipue, quod hac via in earum rerum cognitionem venire possumus, quarum alioqui, nisi tu scriberes, prorsus essemus alieni. Quanquam hodie nulla se nobis offert laeta scribendi occasio: tam omnia perverso gradiuntur ordine. Ego profecto parum bonae spei de salute Germaniae mecum concipio, quod videam omnia periculis exposita esse, patriam, cives, nomen & gloriam maiorum nostrorum. Vtinam oculos recipiat tandem nostra iam prorsus exuta atque exhausta nervis suis Germania! Certe nisi respiciat nos CHristus, brevi res nostrae eo loci prolabentur, vnde nobis parva futurae explicationis spes relinquatur. Haec in parabolis ad te scribere placuit. Nosti, non dubito, captum atque abductum a) Hier. Baumgartnerum, optimum Senatorem, qui rebus Christianis vt multum debuit, ita nihil non salutaris operae illarum nomine insumpsit. Qui comites illi itineris dati fue-

a) Vid. Ep. I.

fuerunt, manumissi sunt, ita tamen, vt vulneribus inflictis laesi, sub ipsis primum Iulii Calendis Halam Suevorum pedites, non amplius equites, applicuerint. Visum est Halensibus minime cunctandum esse in re neutiquam contemnenda. Itaque, praeter alios, etiam Rotenburgenses certiores faciunt insoliti facti. Nec dubito, quin illi magno studio & cura erga nostros Norinbergenses suam fidem sint declaraturi. Nemo enim hic est civium, qui non severissime illatam hanc optimo viro iniuriam vlcisci petat. Ego iniquisſimum factum (vt qui praeterea facere possum nihil) gloriae & gratiae DEI primum, deinde etiam precibus ecclesiae nostrae palam in concionibus commendo. De fine mundi D. Osiandri librum, si editus est, meis sumptibus ad me transmitte. Cupio etiam scire, quid M. Vitus valeat, anne lavet adhuc, an natet? Sollicitus sum de vobis, de mea vita prorsus nullam curam in me recipiens. Haud ita multo post reddar vobis, nisi aliter visum fuerit DEO nostro, cuius voluntati nemo vnquam repugnavit feliciter.

Quid

Quid agant, dic, quaeso, Dominicus, Osiander, Abbas b) quoque & reliqui nostri, quibus cordi est CHristus. Rotenburgi ad Tub. 6. Iunii 1544.

b) Fridericus, Abbas S. Aegidii.

XLIX. Th. Venatorii.

De Culmanno scribit: librum Osiandri se accepisse refert. Baumgartneri casum dolet.

CVlmannus noster hic suos maiores cum inviseret, ad me quoque divertit, sed amicorum, imo consanguineorum crebris precibus pulsatus mensae meae congerro esse non potuit. Si nescis enim, ad Ioannem Brentium properabat, deinde etiam ad patriam. Cogitabat forte etiam ad Domum, ad vxorem & liberos, id quod nemo bonus vir in ipso Culmanno queat improbare. Attulit secum multorum amicorum salutem, quorum nomina non omnia nunc occurrunt, tui praesertim & Osiandri, cum ille etiam scripserit ac miserit epistolam vna cum libello,

cui titulum fecit: Coniecturae de vltimis temporibus; deinde eorum nomine, qui pauperibus praesunt, Caſpar Corus, Caſpar Sturius, & aliorum hoſpitalariorum, quos (oro te) rurſus obſequio meo ſalutare digneris, interim dum redierit Culmannus. Salutabis praeterea amicos noſtros omnes, Abbatem & concionatorem Aegidianum, &c. Baumgartneri iniquiſſimum caſum, vt debeo, aegerrime fero, & hoc fero impatientius, quod hic nihil audire liceat mihi, quo in ſtatu ſalus optimi viri ſit repoſita. Sed vale. Rotenburgi ad Tubarim, 18. Iunii Anno 1544.

L. Io. Brentii.

Argumentum.

De intermiſſo literarum officio ſe Linco excuſat, amicitiamque firmat: nonnulla de Turcarum motibus, Baumgartnero captivo, Cochlaeo, Comitiis Spirenſibus, belloque Gallico addit.

a) Io-

a) Ioannes Brentius Vincilao Linco.

ACcepi, observande mi Doctor, tuas literas a Culmanno. Quaeso autem te, quod verbum tibi in his excidit? Scribis enim te existimare, quod fortassis non magnopere tuis literis delecter. Num vero sic iudicas, quod hactenus nullas a me acceperis literas? Quare, quod ad meam scriptionem attinet, obsecro te per CHristum, vt sentias eam magis casu quam consilio a me omissam esse. Nam si mihi de meo erga te affectu loquendum est, quod res est, ego certe iam olim te ob singularem tuam pietatem, ac professionem sanae Doctrinae; magno amore complexus sum, & nunc etiam te ob alias virtutes, ac propter venerandam quoque canitiem ex animo diligo & veneror. Cum igitur sic, quod DEVS novit, affectus sim, quomodo posset fieri, vt tuae literae non essent mihi gratissimae? Constituamus autem inter nos hoc pactum, vt ego pergam te amare, colere, & salutem tuam CHristo precibus commendare, tu vicissim

a) De eo in vitis Theologorum Melchior Adamus.

ſim etiam me tua oratione comprehendas, & in conſpectum CHriſti offeras, ac per occaſionem ad me ſcribas. Dabo operam reſcribendo, ne deinceps vnquam ſuſpicari queas, tuas literas non eſſe mihi gratas. Quae ſcribis de bellicis motibus & Turcicis incurſionibus, prorſus Tragica ſunt; ſed accidunt haec non absque divino conſilio in terris, verum vult nos Dominus ablactare ab hoc mundo & aſſuefacere, vt ſuſpiremus ad accipiendam coeleſtem vitam. Baumgartneri b) caſus maximo nobis eſt dolori. Tantus vir dignus profecto eſſet meliori fortuna. Sed cedendum eſt nobis divino iudicio. Nec dubito, quin Deus per hunc caſum perducturus ſit Baumgartnerum, virum tam pium, ad magna, praeclara & altiora dona. Et audio

b) Hieronymi Baumgartneri ex Comitiis Spirentibus domum reverſuri, ſed in itinere a Io. Thoma Roſenbergio intercepti calamitas multorum bonorum virorum animos excitavit ad miſericordiam. Extat epiſtola Lutheri conſolatoria ad coniugem Baumgartneri *T. VIII, Altenb. p. 355.* Plura vid. ap. *Melch. Adamum in Vitis ICtorum*, quibus Baumgartneri Vitam deſcriptam a ſe inſeruit, & *Sekendorf. in Hiſt. Luth. P. III. p. 517.* Conf. Ep. 48. & 64.

audio eum a tali captum esse, qui non quaerat c) Baumgartneri vel opes vel mortem, sed tantum speret se hac via sua bona, olim bello amissa, recuperaturum. Quod si verum est, certe honeste tractabitur. Precor autem ex animo, vt brevi restituatur suis incolumis. De Cocleo d) quod scribis, dignissimus certe est, cui tantum respondeatur eiuscemodi epistolis. Homo stultus est & ardelio, qui etsi nec nostram doctrinam, nec etiam sua papistica intelligit, tamen implet scriptis suis orbem terrae. Comitia Spirensia e) pro pace, quam nobis pollicentur, obtrudunt Germaniae novum hostem, Gallum, qui etsi profitetur confirmatione earum propositionum, quas Sorbona peperit, se esse adversaturum verae ecclesiae & piae doctrinae, multi tamen sentiunt hoc exemplum novum esse, quod qui nec legitime audi-

c) Non fefellit plane Brentium coniectura. Nam post annum Baumgartnerus, interposita pactione, ex custodia liberatus est.

d) Io. Cochlaeum intelligit, impudentissimum Lutheri adversarium.

e) quibus bellum in Franciscum I. Galliae Regem, cum Turris societate armorum in Carolum coniunctum, communi nomine decretum est.

auditus sit, vt illi dicunt, nec convictus, sit publicus hostis Romani Imperii & Christianae religionis. Sed fortassis temerarium est, quod illi mei similes audeant de tantorum heroum consiliis iudicare. Nobis reliquae sunt preces & lacrymae, quas offeremus pro salute Germaniae. Quicquid enim in terris acciderit, certissimum tamen est, quod CHristus regnet perpetuo, & quod nos cum ipso simus regnaturi. Amen. Bene ac feliciter vale. Ex Hala Suev. die 21. Iun. 44.

LI. Nic. Amsdorfii.

Argumentum.

Excusat tarditatem literarum; de pace Spirae Protestantibus indulta, Episcopatu Merseburgensi quaedam monet, accusataque nobilium in bonis ecclesiasticis rapacitate, de Ordinatione sacrorum Episcopi Coloniensis Lincum sententiam rogat.

IAm diu siluisti, mi opt. Vinceslae, & re-

ctè;

ćte; quia & ego silui, nec respondi ad tuas proximas literas: quamvis semper respondere volui mecum crocitans, Cras, cras; & sic transierunt dies & menses. Hoc plane est peccatum meum. Nuncii quoque in hoc angulo non occurrunt, nec ego eos quaero. Hinc extractum est silentium meum, non tamen amico ac fraterno animo in te mutato, quem vetus inter nos consuetudo olim plantavit & cum tempore auxit. Maxime autem, dum Nicolaum a) Tolentinum, patronum tuum, cum in maximo periculo ambo essemus, invocabas, dum equis currentibus fracto curru, de curru ceciderunt Vinceslaus & Amsdorfius, vt bene meministi. Nec frustra invocabas, sed efficax erat invocatio, & a tuo patrono impetrabat, ne vllnm sentiremus damnum. De Comitiis nihil certi audio. A Caesare, vt dicitur, impetravimus pacem, b) non autem

L aPa-

a) Videtur innuere Nicolaum, Tolle minas dictum, qui seculo vixit XIII. atque ab Eugenio III. P. R. inter divos relatus est, inprimis abstinentiae nomine celebratus.

b) Recte haec intelligentur, si contuleris, quae *Seckendorfius* habet *P. III: Hist. Luth. p. 475.*

a Papistis. Sed qui pacem & ius aequum hucusque nobis dedit, dabit & deinceps, nolentibus volentibus sacrificulis. Ii enim Caesari imponunt, & ita dementant, vt non recte cogitare, multo minus recte facere possit. Postulatus c) Mersburgensis & eius coadiutor in spiritualibus quomodo tibi placent? Numquid egregium commentum ad fallendum sacrificulos excogitaverunt principes huius mundi? Memini te scripsisse pro filio tuo: sed profecto ego ipse pro meis nepotibus ex fratre, pupillis & orphanis nihil adhuc habere potui: adeo omnia ad se rapiunt nobiles illi Centauri, qui a Principe omnia impetrant. Si Dominus dederit, quod aliquid ad manus meas venerit, & tui recordabor. Rogo te atque iterum rogo, vt mihi significes iudicium tuum de libro d) Episcopi Coloniensis, quomodo tibi eius ordinatio placeat; de Baptismo, de confirmatione, de Coena Domini &c.

His

c) Erat is Augustus, Dux Saxoniae, postea Elector, & socium sibi in curandis sacris adsciverat Georgium Anhaltinum. Vid. *Sekend. l. c. p. 497.*

d) Cuius summam exhibet *Sekend. l. c. p. 443. sqq.*

His inclusis mitto tibi nummum e) argenteum, atque vxori tuae vnum, quem vocant ein Beut-Pfenning. Superinscriptio ipsa tibi indicabit, cuius sit moneta haec nova. Vale in CHristo, mi amantissime Vinceslae. Czeitz 28. Iunii 1544.

e) Forte is est, quem Amsdorfius fieri curaverat, altera facie Cardinalis, altera morionis caput referentem; illi: Effigies cardinum mundi; huic: Effeminati dominabuntur eis, adscripserat. *Sek. p. 478.*

LII. Th. Venatorii.

Argumentum.

Desiderium suum redeundi Norimbergam exponit, & Baumgartneri casum denuo deflet.

Optimis atque doctissimis viris, Doctori Vinceslao Lynco, Dominico Schleupnero, Andreae Osiandro, Vito Theodoro, amicis & Dominis suis merito observandis

Thom. Venatorius.

SAlutem & pacem a Domino! quo magis hic exspectamus virum aliquem pium & doctum, qui, quod ego plantavi, rigare possit imbre verbi sancti, hoc magis nostra nos fallit opinio. Ex Heidelberga adventurum sperabamus Heinrichum a) Stolonem, de quo spem nobis fecerat a principio vir optimus, Io. Brentius, sed etiam illum nobis abstulit malus error. Ego liberari hinc cupio, & reddi vobis in tempore. Hic torpeo totus, langueo quoque ac pene iam tabesco. Si nescitis enim, perpetuo hic cum febre mihi conflictus fuit, neque nunc hastam & arma deponere licet, nisi periculo velim exponere vitam, id quod nullo modo faciundum esse censeo. Volarem ad vos, iamiamque inviserem vos, nisi alio respicere me admoneret illa iam recens institutae ecclesiae ratio, quam destituere praesentia mea, hoc praesertim tempore, non debeo. Vos pro nobis orate ad DEVM, vt, quod coepit apud nos, perficere velit in gloriam nominis sui sanctissimi. De optimo

Sena-

(a De quo *Melch. Adamus in Vitis Theologorum*, p. m. 147.

Senatore, Hieron. Baumgartnero, si quid exploratum habetis, facite, quaeso, me certiorem. Ipse in hac nostra ecclesia casum hunc vt amarissime fero, ita salutem illius DEO nostro diligentissime commendo. Quid facerem enim aliud? Sed valete in Domino cum vestris omnibus felices. Novarum rerum nihil huc advehitur, nisi quod longo tempore ante apud vos est decantatum. 2. Iulii, statim a concione. 1544.

LIII. Th. Venatorii.

Argumentum.

Hofmannum quendam remittit, eumque vulgi exspectationem non sustinere scribit.

Optimo viro D. Vinceslao Lynco Thomas Venatorius.

a) HOfmannum nostrum ad vos remit-

a) Intelligi credo Io. Hofmannum, A. 1528. Vitembergae magisterii honore ornatum, quem

mittimus, alioquin non remittendum, nisi magnum aliquem futurum sibi somniarent simplicissimi homines, a cuius doctrina, tanquam e coelo, mens humana tuto sibi omnem fortunam polliceri queat. An eiusmodi aliquem, isthoc praesertim tempore, inventuri sint, nescio. Ego profecto propediem me absolvere studebo, domum petiturus, nec me committam periculis spumosi pelagi huius. Caetera ex ipso Hofmanno plenissime audies. Ego negligam adhuc ad breve tempus salutem meam non illibenter, modo intelligam, senatus curam & studium pro instituenda ecclesia hic CHristi, non languescere. Secus, si cadere videam omnia, viam inveniam, qua me in littus exponere confidam. Tu vale & salutabis obsequio meo Abbatem & alios omnes. Rotenburgi ad Tub. 4. Aug. 1544.

Linco & Friderico Abbati Lutherus saepe diligenter commendavit. Vid. *Tom. II. Epp. Luth. f. m. 374. b. 379. b. 386. a. 389. a.*

LIV. Eiusdem Venatorii.

Argumentum.

Nuncium de statu ecclesiae Rotenburgensis Vitembergam missum esse nunciat, seque huic negotio explicatum, senectutis excusatione, cupere significat, denique de Baumgartneri fortuna quaerit.

DE ecclesia nostra quod scribam, opus esse non video, cum praeserrim sciatis, in hoc Vitenbergam a) Senatus nostri nomine transmissum esse nuncium. Cupiunt enim omnino gloriae Christi apud cives suos consultum esse optime. Nec dubito, quin, quod verbis me coram exprimunt, factis sint & revera exequuturi. Nuncius mox vt ad nos redierit, significaturus, qua in nos affecti sint voluntate Vitenbergensis Academiae proceres; vel privato ad vos misso nuncio haud obscure explicabo vobis omnia. Sed hoc vix sub finem mensis huius polliceri mihi possum.

a) De eo *Hartmannum in Concion. Miscell. XIV. p. m. 267. sq.*

Vtcunque, vſque, & vndequaque impulſa conſtiterit haec noſtrae navigationi; tempeſtas, ipſe profecto vela colligere ſecum meus concluſit animus.

Iam canos etenim gero capillos,
Et toto capite albicant pruinae.
Nunc Thomam fugiunt aquae marinae;
Nunc Thomas fugit ipſe aquas marinas.

Sdd haec miſſa. Scire cupio, quid vobis cum audiat optimi viri, Hieron. Baumgartneri, calamitas? quid bonae ſpei nobis deinde concipere poſſimus, aut quomodo libertati donabitur iuſtus? Bene vale. Rotenburgi ad Tubar. 3. Septemb. 1544.

LV. Th. Venatorii.

Argumentum.

Calumnias quasdam diluit, de ſe abſente ſparſas.

Excellenti Theologo, Domino Vin-

Vinceslao L. Domino & amico ſuo primario.

GRatias ago tibi, quod me tam amicè admones. Sed miror tamen, tam plures eſſe apud vos, quibus & doctrina & vita mea curae eſt adhuc. Amici, vt coniicere poſſum, ſunt. Nam hoſtes revera cum ſint mei, amicos tamen vocare placet. Quomodo autem ego tantopere vino maderem, qui non amplius tribus vicibus extra habitationem meam prandia ſumpſi? quid temere loquar ſolus? aut quas mihi narras profanatas per me Dominicae Coenae reliquias? Teſtem habeo factorum meorum Senatum, teſtem eccleſiam, vt iam vel apud parum aequos iudices ab illis intentatis mihi falſo criminibus abſolvi posſim. Dominus protector meus; non timebo: quid faciat mihi homo? Vale in Domino felix. Opto etiam valere omnes, qui tecum ſunt, in Domino Fratres. Rotenburgi 7. Septemb. 1544.

LVI.

LVI. Iusti Menii.

Argumentum.

Hieronymum Volfium commendat, & bella Theologorum intestina execratur.

ETsi nihil habeam, quod ad te scribere possim; quia tamen incivile iudicavi, si hunc Hieronymum a) nostrum, qui in Xenodochio, quo tu doces Evangelium, professurus est bonas literas, sine meis ad te literis abire paterer, volui vel duobus tribusve verbis te salutare, idque, quantulumcunque est officii, gratum tibi fore existimavi. Precor itaque DEVM, vt & ministerium tuum ita fortunet & regat, vt sit salutare ecclesiae. Ac video precationes tales hoc tempore vel cumprimis necessarias, cum Sathan Sophistis torpescentibus vel exhaustis id agat multis in locis,

a) Hieronymus hic Wolfius est, qui ab anno 1548. in alterum vsque annum Rector Scholae Muhlhusinae, Norimbergam deinceps ad erudiendos duodecim selectos adolescentes a Senatu vrbis evocatus est. Vid. in eius vita *Melch. Adamus.*

cis, videlicet b) vt nos ipsos inter nos committat. Notum vero est, quam sint exitiosa domestica bella, quantoque domesticus hostis peregrino perniciosior atque crudelior. Proinde Deum oremus, vt diaboli consilia dissipet atque impediat. Amen. Gratia Domini tecum! Datae Isenaci Cal. Octobris 1544.

b) Forte haec ad certamina Lutheri cum Helvetiis, indeque notas Lutheri & Melanchthonis simultates pertinent, quae incidunt in hunc annum. Nam Melanchthonis auctoritati plurimum tribuisse Menium, anni sequentes docuerunt.

LVII. Th. Venatorii.

Argumentum.

Rotenburgensis ecclesiae incrementa laudat, & hostibus ecclesiasticae disciplinae in Norico vt obviam eatur, admonet.

NIhil habeo in praesentia, de quo vos facerem certiores. Nam vt de me, deque ecclesia nostra hic conqueri non debeo: ita si non agam gratias CHristo Deo

Deo & Servatori nostro, merito censeri queam ingratissimus. De ecclesiis autem nostris in Norico non aeque bona mihi nunciantur. Audio enim, esse praefectos quosdam, qui, quae bene per nos sunt statuta ad disciplinam ecclesiasticam, rescindere conantur, ac nimium audacter, privato ausu, clanculum omnibus illis, quae nos pro religione conservanda statuimus, adversantur, ac revera, si non obviam eatur illis, penitus aboleri student. Testis harum rerum erit tibi dominus Bartholomaeus Comerer, Parochus in Lauff, qui, rogatus a te vbi fuerit; non ferenda a vobis narrabit. Vos, qui prope estis, rebus adhuc integris consulite. Vale. Rotenburgi XI. Octob. 1544.

LVIII. Th. Venatorii.

De Sigismundi Standacheri adventu perscribit.

Eximio Doctori Vinceslao Lynco, Theologo primario apud No-

Norinbergam, Domino suo venerando
Thomas Venatorius.

SCripsit ad me nomine Georgii a) Vogleri ex Wintzhemio Petrus b) noster, cuius epistolam hic legendam tibi transmitto. Cum autem nihil de hac c) simultatę intellexerim, incerta illi scribere nolui. Tu si quid exploratum habes, aut me aut Voglerum in Wintzheim facies certiorem. Venit paullo ante ad nos ex Vitenberga missus Sigismundus d) Austri-

a) Voglerus hic praefectus Cancellariae Georgii, Marchionis Brandenburgici fuit, quo A. 1543. pie defuncto videtur missione impetrata Vinshemium ad vitam quietiorem secessisse.

b) Forte Plateanus.

c) Incertum, qua de simultate loquatur, Lutherine & Melanchthonis, de qua famam longe lateque fuisse disseminatam, multa docent, an Osiandri & Viti Theodori, de qua ex Melanchthone nonnulla refert *Melch. Adamus in vita Theodori.*

d) Sigismundo huic Staudachero cognomen fuit, vt annotat *Hartmannus*. Ex his autem Venatorii literis apparet, Erasmum Alberum, cuius itidem apud *Hartmannum*, & quidem tanquam inter Venatorium & Sigismundum interiecti, mentio fit, spem forte adventus sui fe-

ſtriacus, qui, puto, hic a ſacris concionibus conſtituetur: qua conditione, ſcire non poſſum, Ego hoc vnum ſtudeo, vt quam ociſſime reddar meis. Vos omnes cupio valere & diu vivere in CHriſto felices. Rotenburgi 20. Oct. 1544.

natui Rotenburgenſi feciſſe, ſed aliunde impeditum ad eos non acceſſiſſe.

LIX. Friderici Myconii.

Rediiſſe ſibi vocem, non ſine pia divinae bonitatis & maieſtatis praedicatione, nunciat, & de ſtatu eccleſiarum in vicinia perſcribit.

Clariſſimo & ornatisſimo viro, D. Vinceslao Linco, Sacrae Theologiae Doctori, Norinbergenſis eccleſiae fideli Paſtori, Maiori ſuo in Domino Fridericus a) Mecum.

Quando

a) De inſigni hoc viro vid. *Melch. Adamus* in eius vita, & *Sekendorfius* paſſim, qui & epiſtolas viri nonnullas aeterno ſuo operi inſeruit, Vid. imprimis *P. III. p. 619. ſq.*

QVando tam commodum tabellarium nactus sum, hunc civem nostrum, qui ad nos est recursurus, nolui, vt ad vos sine meis literis veniret: Tu cura, vt non sine tuis ad me redeat. Rediit mihi b) muto post triennium iterum paullatim vox, & iterum cum pueris clamo in templo, Osianna filio David! non sine maximo miraculo, licet nondum perfecte redierit pristina valetudo. Sed ita agit rex ille noster, dum vult se vlcisci de inimicis suis, de principe mundi, qui iactat se habere omnium regna, & ea dare suis adoratoribus, & procedit hastatus, armatus, clypeatus cum omnibus portis suis, vt obiiciat ei non alios milites, quam infantes lactentes, piscatores, nihil aliorum armorum contra ferentes, quam orationes, cla-

b) Nam A. 1541. gravissimo oppressus morbo, divinae bonitati & Lutheri precibus vitam, se debere professus est; remansit tamen pertinax raucedo per triennium, in qua animum eius solatio erigere Luthero visum est d. 23. Febr. 1544. ap. *Sekend. P. III. p. 518.* Donec rediret vox, atque Myconius in pristinis officii laboribus strenue iterum elaborare posset, quod fecit vsque ad fatalem morbum, qui d. 7. April 1546. ad meliorem vitam ipsum evocavit.

clamores, gemitus, suspiria, eiulatus, & *) infantuli hoc Osianna, ne glorietur hostis se obrui potentia carnis & mundi. Confide, mi D. D. Vincilae, vicimus, iam vicimus in rege mansueto & paupere. In Thuringia omnia recte habent. Forstemius c) Schleusingiae pergit restituere CHristum ecclesiis, & ecclesias CHristo. D. Langius Erphurdiae valet. Menius quoque recte habet. Mahlhusii recte instituitur grex Domini, quo missus est vir eruditus & gravis, Sebastianus Bohemus, qui ante annos aliquot fuit cum Menio Isenaci. Spalatinus d) nuper antever-

*) F. infantile

c) Rectius Io. Forsterus, quem Vilelmus, Hennebergius Princeps, Vitemberga ad constituendas res ecclesiarum in suis ditionibus evocaverat: rediit tamen hoc anno, vt videtur, in Saxoniam, ordinato Hennebergensium terrarum Superintendente, *Christophoro Vischero*, qui auspicia muneris sui anno hoc 1544. capta esse, *in dedicatione Concionum de Passione & Resurrectione CHristi* ipse annotavit Merseburgi docuit A. 1548. & consiliis tandem de formula sacrorum Augustana, isto anno ab Imp. Carolo promulgata, implicitus est infelicibus. Vid. *Acta Synodica Vitemb.*

d) Id rumore incerto ad Myconium perlatum esse, credibile fit. Nam aegrotavit quidem iam

vertit me ad patres nostros, in sinum Abrahae & requiem aeternam. Vale. Gothae 4. Decemb. 1544.

tum Spalatinus, verum decessit demum d. 16. Ian. anni sequentis. Vid. *Schlegel. in Vita Spalatini §. XL.*

LX. Io. Langi.

Graviter queritur de importunitate adversariorum.

EGo non dubito, quin tua humanitas cum Symmystis & in Evangelio cooperariis sit valde pro nobis sollicita, & praesertim eam ob rem, quod nos versari & ecclesias nostras in medio luporum & basiliscorum, plus fortasse quam olim prophetas aliquos, sciatis. Iam iterum, quandoquidem Comitia appropinquant, suo more cristas erigunt, ac si CHristum ipsum mox essent deglutituri. Taedet animam meam cum propheta vitae meae, & praesertim, quod tam diu permanserim Erphurdiae. Episcopales diaboli & κακοδαίμονες non cessant malis suis artibus

evangelium & nos impugnare. Nisi vero aliud quiddam nobis metuendum esse t, iam constituissemus vno momento simul relinquere functionem nostram in Evangelio. Orate pro nobis, apud quos sponsus est, & ideo iure gaudetis. De consule vestrate Baumgartnero varius est apud nos rumor: sunt, qui revenisse dicant, & sunt, qui negent. Nos pro eo sumus ideo solliciti, quod vir non prudens tantum, sed etiam valde pius dicatur. Vale & rescribe, nihil celans, si quid est rerum novarum. Datae Erphurdiae die Innocentum a) 1545.

a) Initio anni in Natalem CHristi collato.

LXI. Nic. Amsdorfii.

Literas Pontificis a Luthero notis declaratum iri, magnum a Turcis impendere bellum, Electori Coloniensi adversari Capitulum, & ab Heinrici Brunsuicensis artibus incendia metui nunciat.

AGo tibi gratias quam maximas, mi optime & charissime Vinceslae, pro copia

copia epiſtolae a) papalis. Digna enim eſt, vt ſcholiis illuſtretur & declaretur, quemadmodum eam illuſtratam & clariorem factam a patre noſtro b) Reverendo mox videbis. De Caeſaris & Angli ſimultate hic nihil dicitur. De fide frago Gallo quoque ſilentium eſt. Sed ad noſtros Principes de apparatu Turcico ſcribit Imperator tam valido & magno, vt terra marique eccleſiam CHriſti expugnare conetur. Librum Electoris de tribus cauſſis, cur Iulium Pflugk nolit, hic tibi mitto. Capitulum & Senatus c) Colonienſis valde adverſantur ſuo Epiſcopo. Arbitror te vidiſſe, quid Epiſcopo per ſuos legatos denunciarit capitulum, & quid Epiſcopus reſponderit, certe pie & prudenter. Mitto tibi carmen, quod legas, verum ſecundum Canones in fine Carminis adiunctos, & videbis mirabile ingenium

a) Binas habet *Sekendorf. P. III. p. m. 480. ſqq.* & *487.* Eae Venetiis ad Vitum Theodorum venerant, vt ex epiſtola Lutheri ap. *Sekend. p. 593.* patet.

b) Factum id libro, cui titulus: Wider das Pabſtum zu Rom / vom Teufel geſtifftet; *T. VIII. Altenb. p. 418.*

c) Vid. *Sekend. l. c. p. 433. ſqq. itemq p. 553. ſq.*

um cuiusdam studiosi. Praeterea nihil habeo, quod ad te scribam, nisi quod dicitur Heinricum Brunsuicensem archi-incendiarium rursum ordinasse & emisisse trecentos incendiarios contra Germaniam Lutheranam: & tamen laudatur a multis, d) qui eius caussam praedicant & iustam faciunt. Et vtinam ab iis non defenderetur, qui eum damnare & punire deberent. Iis bene vale in CHristo, frater, & DEVM pro me ora, & age officium CHristiani fratris. CZeitz 9. Martii. 1545.

d) Neque enim hic omnium Protestantium eadem erat sententia. Vid. *Sek. l. c. p. 553. a.*

LXII. Iusti Menii.

Tolerabili statu ecclesias Thuringicas agere, & militem in Hassia conscribi refert.

ETsi nihil habeam, Vincilae Doctor humanissime, quo oblectare animum tuum admodum me posse existimem, tamen nactus tabellarii huius occasionem, non potui te non salutare, deque statu

cum

cum nostro, tum ecclesiarum nostrarum certiorem te facere, quem scias beneficio DEI esse satis tolerabilem. Conscribuntur hic in vicina Hessia a) milites, & cives armati classicum in omnem exspectant horam. Quid caussae subsit, nos certo non scimus, & variant sermones vulgi. Nos vero securi in vtramque aurem dormimus. Pestem apud vos saevire aiunt: precor itaque Deum aeternum patrem domini nostri IEsu CHristi, vt vos ecclesiae ministros servet incolumes. Si quid apud vos rerum est novarum, gratum feceris, si communicaveris. Isenaci 12. Septembris 1545.

a) Factum id ob suspicionem belli Brunsuicensis, quod mox palam erupit; Sed clade & captivitate Heinrici statim a principio oppressum est. Vid. *Sekend. P. III. p. 567.*

LXIII. Iusti Ionae.

De negotio quodam matrimoniali rescribit.

IN negotio coniugali, Clarissime D. Doctor, Domini Schurstabii, iam ante aliquot hebdomadas rescripsissem, si a Magi-

ſtro Kelner (quem noſtis) potuiſſet certum haberi reſponſum. Verum ipſe, vt adverſarius aut certe non admodum amicus doctrinae noſtrae ſanae, non magni facit auctoritatem Evangelicae eccleſiae, adhaerens Papiſticis partibus, fugit noſtros congreſſus, & vitat, quantum poteſt, noſtra colloquia. Adhibui tamen interim (quantum fieri potuit) in hac cauſſa diligentiam: vocauimus ego & Synergus meus in templo Mauritii vxorem eius, matrem puellae. Haec pene omnia fatetur, quae Schurſtab, & vt id perſcripſiſtis, datam eſſe catenulam, ſudariolum: Sed dicit ſe & M. Kelner habere cauſſas, quae poſt haec omnia exortae ſint, quare nunquam in aeternum filiam velit dare Domino Schurſtabio. Et cum nos multis feminam a marito obduratam, exhortati eſſemus, nihil aliud accepimus reſponſi. Quantum nos intelligimus negotium, Dn. Schurſtabium exiſtimamus bonam cauſſam fovere: Poſt multas deliberationes vtrinque, vere & definitive, datam eſſe fidem coniugii. Et ſi res apud legitima tribunalia deducta fuerit ad cogni-

tio-

tionem, haud dubie pro Leopoldo Schurstabio pronunciabitur. Proinde quod attinet ad petitionem vestram, nos hic Halae, nisi primum apud legitimos & dignos judices caussa cognoscatur, non feremus in hac ecclesia, vt nubat puella alteri, & cum petierit se pronunciari vel proclamari, memores erimus literarum vestrarum & petitionis Schurstabii. Interim cum facile cognoverimus, Dn. Schurstabio, & honestissimae familiae, moram (quam M. Kelner, callide nectit & quaerit) molestam esse, consulerem, vt literas impetraretis ab Electore Saxoniae Illustrissimo nostro hic Halae ad nouum & futurum Archi-Episcopon, per eam rationem commodissime possetis cogere & percogere in *) M. Kelnerum. Sed totum, mi D. Doctor, pater & frater in Domino Charissime, vestro permitto arbitrio. Audio Dn. Schurstab fuisse aliquandiu apud Landtgravium Leuchtenberg, hic est iunctus (ni fallor) consanguinitate novo Episcopo. Quod ad novitates attinet, nosti diem Nicolai praefixum

 esse,

*) Hic in MSPto lacuna erat.

esse, vt conveniant die Protestirenden Fürsten und Stände Francofordi, a) de inventa apud Brunsuicensem arcula plena literis, mirandis conspirationibus, technis, consiliis Cain, quae non revelabuntur. Salutare velis D. A. Osiandrum, virum Clarissimum, & Vitum Theodorum, & D. D. Magenbucchum, b) qui quaeso scribat, quid pro medicinis missis dandum sit: nollem donatas. CHristus, mi frater in Domino, te cum tota ecclesia Norinbergensi quam diutissime conservet incolumem. Halae Saxonum Sabbatho post Elisabeth 1545.

a) De hoc Conventu *Sekend. P. III. p. 613.*
b) De hoc nonnulla sub Megobacchi nomine habet *Melch. Adamus in Vitis Medic. p. m. 34.* conf. *ib. p. 23. b.* Megabucchum appellat *Eobanus lib. VI. Sylv. p. 542. sq.*

LXIV. Hier. Baumgartneri.

Linco peregre profecto reditum suum nunciat.

GRatia CHristo, qui me sua benignitate patriae & familiae restituit, vbi maior est

est copia Medicorum & familiarium ministeriorum. Ecclesiae precibus me conservatum esse nihil dubito: atque vtinam vicissim ecclesiae prodesse queam. Ego sic valeo, sicut in itinere: Sed D. Magenbuchius a) cras mihi porriget medicamentum, a quo spero solidam valetudinem. Vtinam & tibi haec profectio feliciter eveniat. Vale. b)

a) De quo ad ep. praec.
b) Epistola haec A. 1545. scripta, quippe quo Baumgartnerus ex captivitate domum rediit.

LXV. Io. Langi.

De Heinrico Brunsuicensi captivo: colloquio Ratisbonensi, & Stephano Spalatino.

IN CHristo pax tibi a DEO patre, qui mirabili consilio Mezentium Brunsuicensem fecit scabellum pedum suorum. Nos publicitus egimus gratias DEO pro hac insigni victoria, quae tantum non perdidit Papistas primum. Mirum quam placeat bonis omnibus libellus D. D. Lutheri a) ad Principem Electorem Saxoniae & Land-

a) Qui extat T. VIII. Altenb. n. 462. s. 4.

Landtgravium Heſſorum, in quo doctiſſime concionatur, ne iſte diaboli Satrapa libertati reſtituatur, illud multis firmisque argumentis confirmans. Dirigat Dominus corda Principum noſtrorum, quo his in rebus prudenter agant. Caeſar tentabit quaevis, ne hunc Commiſſarium & diligentem & audacem dereliquiſſe videatur. Eam ob rem etiam Papiſtae animoſiores efficiuntur. Atqui de Colloquio Regenſpurgenſi quid rumoris apud vos eſt? Apud nos eſt his de rebus magnum ſilentium, & fertur Papam inhibitionem Caeſari tranſmiſiſſe, ne fiat colloquium. In ſolius namque ſedis Romanae poteſtate eſſe Synodos & concilia cogere. De his tu certiores nos reddere potes. Stephanus b) Spalatinus leproſis adiudicatus eſt, & valde eſt infirmus & puſillanimis. Is orat, vt eius miserearis, pro eo ores, & aliquid DEI cauſſa communices. Vale. Erphurdiae die Innocentum c) 1546.

b) De eo ſup. ep. XLII.
c) Qui noſtra computandi ratione adhuc ad annum 1545. pertinet.

LXVI.

LXVI. Hier. Baumgartneri.

Theobaldi Nigri honorificam mentionem facit.

PErgratum fecisti, optime Vinceslae, qui legendam exhibueris epistolam Theobaldi a) Nigri, cuius memoria adeo mihi non excidit, vt, si coram esset, inter multos a facie etiam mihi foret notus. Ego vero si sciam iam hic esse peculiarem nuncium ab Argentinensibus missum, ipse ad eum scribam, ac nihilo minus te rogo, vt & ipsum ac M. Matthiam b) Cellium cum vxore reverenter meis verbis salutes. XXII. Februarii 1546.

a) Hic Ecclesiastes Argentoratensis, atque illius ecclesiae concessione aliquandiu Augustanus fuit.

b) Primus hic Argentorati sincerioris doctrinae praeco fuit, A. 1548. vita functus. De quo plura *Melch. Adam in Vitis Theologorum p. m. 92.*

LXVII.

LXVII. Hier. Baumgartneri.

Remittit Myconii literas, adiuncta Huberini epistola.

Remitto ad te, optime Vinceslae, Friderici Myconii literas ad te & collegas scriptas, (alteras simul senatui inscriptas par est in archivo publico asservari) quibus confectum est, vt iam in promptu sint aurei centum, ex publica collatione, quibus fortassis, accedet aliquid a privatis. Eam pecuniam curabimus quamprimum istuc transferri. Id ideo tibi significo, ut, cum commodum tibi fuerit, habeas, quod Myconio respondeas. Vix tantum erat rediturum ad eos, si ostiatim stipes collecta fuisset: & novo hoc exemplo multis indignis & improbis daretur occasio impudentioris flagitationis. Casp. a) Huberini epistolam huic adiunxi, atque vtinam, vt ipse sperat, Hohenloenses Comites recipiant Evangelium. Ei quem ipse tibi commendavit, dedi dimidiatum Ioachimicum. Vale. 1546. 13. April.

a) Augustanus hic Ecclesiastes fuit, A. 1535. ad Lutherum missus.

LXVIII.

LXVIII. Hier. a) Besoldi.

Viduae cuiusdam, cui Linci filius debebat, negotium Patri commendat.

REverende D. Doctor, Scripsit ad te per Scholasticum quendam vidua, quae fuit Salomonis, filii tui, hospita, petivitque, vt pecuniam, quam debet filius, mittas, cum ipse solvendo non sit, & illam, quam proximis nundinis accepit, in alios usus insumpserit. Interim vero responsum nullum accepit, & quamvis id nuncio imputat, tamen vehementer a me contendit, vt te per literas iterum admonerem. Angitur vehementer in tantis difficultatibus rerum & publica trepidatione, cum de voluntate tua incerta sit, & vereatur, ne solutionem aut protrahas diutius, aut recuses omnino. Itaque questura erat apud D. Philippum & Rectorem Academiae de filio, quum contra datam fidem discesserit initio, & contra leges Academiae

a) Besoldus hic discipulus atque hospes Lutheri, & postea Ecclesiastes Norimbergensis fuit, cuius diligentiae partem vltimam Commentationum Lutheri in Genesin debemus.

miae hospitae non satisfecerit. Sed obstiti ego, quantum potui, ne res permanaret ad D. Philippum, vel ad D. Camerarium, Rectorem Lipsensem, ne quid detrimenti oriretur puero, & tuo nomine promisi, te primo quoque tempore satisfacturum pro puero. Quare valde te oro, vt hac in re ipsius viduae honestissimae & optime de filio meritae, & existimationis vestrae rationem habeas. Nam & iure, quod debetur, exigit, & in his motibus haud scio an quisquam alius hanc moram tam aequo tulisset animo. Ego cum mea disciplina vsus sit, vt ipsae commendassem initio Salomonem, ipsius precibus adductus haec scribo, & vestro commodo. Nolim enim vel tuum, vel filii nomen ad Rectores vel Senatum nostrum deferri, quod facturam se minitatur ipsa, nisi de tua voluntate mature certior fiat. Bene & feliciter vale, & hoc meum scriptum, bono & simplici animo ad te missum boni consule. Vitenbergae 15. Sept. 1546.

LXIX.

LXIX. Io. Oecolampadii.

De Controversia Sacramentaria agit: Anabaptistarum hypocrisin notat, & Zvinglii contra eos librum commendat, Papistarum denique oppositionem memorat.

Vincilao Linco Ioannes Oecolampadius.

QVi tuus est candor, & non fucata φιλαδελφία, mihi dubium non est, me tibi fratris adhuc loco haberi, quamlibet literarum vicissitudo inter nos hactenus nulla fuerit, tum & ἄτη illa Sacramentaria res nostras plurimum turbarit. Equidem te ex animo diligo & colo, quoniam non dubito, CHristi nomen praecipuo cum studio praedicare. Vt mihi enim salva fide in mortem CHristi, & veritatem Scripturarum, eam libertatem enarrandi loca scripturae posco, vt, dum ab analogia fidei non recedo, non cogar in alterius verba iurare, & amplecti, quod non assequor: ita vicissim haec aliis haud gravatim

tim concedo, imo scio debitorem me, vt fide infirmos quoque suscipiam. Quare iis, qui mecum confitentur, nos natura filios irae, ex gratuita DEI benevolentia, CHristique merito iustificari & salvari donato spiritu, quo ad pietatem impellamur & spe firmemur, olim fore, vt per omnia iusti & beati evadamus, interea fratribus pro virili, in sermonibus ob Euchariſtiae negotium renunciare amicitiam nunquam sustinui; quanquam non dubitem, magnam fidei infirmitatem esse, non agnoscere Dominum iam in coelestibus, hoc est, Spiritu regnare & omnia in nobis efficere, multoque esse infra regni eius maiestatem, *) & corporali sumptione conscientias roboret. Sed & luce clarius videtur, ex vnicis istis verbis, hoc est corpus meum, nihil tale concludi posse. Nam & adversarii fatentur, huiusmodi orationes non semper substantivam vnitatem extremorum significare: & qui non faterentur, cum nusquam non in Scriptura orationes similes, sed diverso sensu, occur-

*) Lacuna, f. l. vt carnali

cursent? Proinde, Charissime Vincislae, scito te mihi & fratribus hic ex animo diligi: id & abs te vicissim precamur, vt & nos fratres tuos complectaris, quod sane, siue consentias, siue dissentias vno & altero in loco enarrando, te facere nihil ambigimus. Dabit namque Deus & huic contentioni finem. Nobis tamen hic longe gravior conflictatio est cum Catabaptistis, qui Scripturam, CHristum, & Magistratum cupiunt e medio sublatum, hypocrisi nocentissima instructi, quanquam Dominus illam subinde satis detegat. Optarim vos legere Zvinglii Elenchum contra hanc haeresin: praeclare enim strophas eorum detexit. Libellus sane lectu dignissimus, ad has nundinas primum editus. Caeterum tuentur adhuc turba Papistarum quatuor excelsa, quae si sublata essent, non modicum CHristi regnum hic floriturum sperarem. Principes enim sunt Canonici & Comites, qui cum toto fere equestri ordine, qui hic potens est, illa propugnant. Confidimus tamen CHristum victurum. Bene vale. Sa-

N lu-

lutatte Capito noster, & fratres alii. Argent. IX. Sept. a)

a) Annus non erat adscriptus. Videtur tamen ad annum 1525. quippe quo Zvinglio cum Catabaptistis plurimum negotii fuit, pertinere.

LXX. Eobani Hessi.

Iocatur cum Linco, & remittit poëma quoddam.

Supremo regni nostri Consiliario, Domino Vincilao Linco, illustri amico suo,

T. Eobanus a) Hessus, b) Rex.

Remitto tibi, sicut promiseram, fide regia, Pasquillum tuum, magis nunquam, quam hoc tempore, veriorem Poëtam, qui quum alias multa mentiri sit solitus, hic certe rem ipsam acu, quod dicitur,

a) Linci & Eobani amicitiam commemorat in huius vita *Camerarius*; atque ex eo *Melch. Adamus*.

b) De origine huius cognominis vid. *Adamus* & *Eobanus* ipse *lib. II. Sylvarum*.

tur, tetigit. Habeo tibi, optime Vincilae, maximam gratiam pro munere non vulgari mihi impertito. Si quo hodie c) expatiari voles animi gratia, vel ad Bernhardum vel alio, fac sciam: non gravabor, te tantus rex sequi vel cum exercitu. Vale. Ex Regia.

c) Deambulatio Eobani descripta ap. *eund.*

LXXI. Linci ad Lutherum.

D. Martino Luthero Vinceslaus Lincus.

S. Si valent quidpiam meae apud te preces, Martine charissime, rogo, ne me deleas ex albo tuorum amicorum. Vix enim scio hominem in hoc mundo, in quem plus operae, fiduciae & amoris vnquam collocarim, praeter te. a)

a) Videtur initium esse longioris epistolae, quae vero non fuerit integre descripta.

LXXII. Andr. Osiandri.

In Prov. VI, 26, commentatur.

Andreas Osiander Vincilao Linco S.

QVoniam propter mulierem meretricem vsque ad massam panis : At vxor viri animam pretiosam venatur. Huius textus ex Hebraeo, talis est sensus: Id quod expendis propter scortum, vel, quod captat & quaerit scortum sua scortatione a scortatore, etiamsi multum fuerit, non tamen excedit pretium massae panis, ein Laib Brodts. Vxor autem alterius viri, i. e. coniugata, dum te ad concubitum allicit, animam tuam venatur. Adulteri enim deprehensi occidebantur in lege. Haec autem sententia plane est moralis, quales sunt quam plurimae; ita vt ego sentiam, omnia dicta huius libri, nisi alias in lege sint comprehensa, nihil aliud esse, quam consilia, & sapientiam saecularem, quatenus homo pius eam potest amplecti. Et est argumentum a minori, q. d. vides, quam foeda res habeatur fornicatio, quamque passim exibiletur & prohibeatur, cum tamen damnum scortationis,

(civi-

(civiliter loquendo) non excedat valorem massae panis: quanto igitur magis vitandum & detestandum erit adulterium, cuius poena (in civili iudicio) mors est. Vtramque tamen coram Deo peccatum. Sed Salomon non de conscientia loquitur, quod non est eius propositum, quanquam frequenter hortetur ad legem Dei, quae proprie pertinet ad conscientiam, eamque vocat legem patris & matris, quod parentibus lege praecipiebatur, vt filios in lege erudirent: Sed eius propositum est, aequum & bonum civem instituere, qui commodus aut saltem proximo tolerabilis: etsi quid in Salomone est in hoc libro, quod ad conscientiam pertinet. Quare cavendum est, ne, si quid vituperet, aut ab eo dehortetur, ita inculcetur, vt populus peccatum esse putet, nisi & alibi a Deo fuerit prohibitum. Ita & hic, nisi intelligas civiliter locutum, non evades, quin concedere cogaris, scortationem non esse peccatum. Sed haec satis sunt, praesertim tibi.

Vale.

(o)

SERMO
D. MARTINI LVTHERI,
praescriptus praeposito in Litzska, in illud Ioannis:

Omne, quod natum est ex DEO, vincit mundum, &c.

§. 1. SAnctus Apostolus Ioannes, sermonem hodie nobis facturus pro corrigendis vitiis nostris, & dirigendis pedibus nostris in viam pacis, in hunc modum, de coelo sonans, exorsus est: *Omne quod natum est ex DEO, vincit mundum, & haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Quis est autem, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius DEI?* Familiare est Apostolo huic S. Ioanni, de nativitate loqui divina, qua nos in CHristo nascimur, quam fidei tribuit: Sicut & *in Evangelio* dicit: *Dedit eis potestatem, filios DEI fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus,* Io. 1.

bus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Cum autem ita habeat omnis doctrina, vt iis, qui literas & voces eius ignorant, barbarus sit, qui loquitur; rursus qui | 1. Cor. 14. loquuntur, neque intelligunt, quid loquantur, neque de quibus affirment, vt *ad Timotheum* scribit Apostolus: | 1. Tim. 1. & nobis quoque necessarium est prius linguam Apostoli intelligere, & signum eius cognoscere. Quare, quid illa nativitas sit? quid mundus? quidve Victoria? dicendum est.

§. 2. Nativitas DEI est generatio, qua ex DEO nascimur. Sic enim ait *cap. V.* idem *Ioannes*: *Scimus, quoniam omnis, qui natus est ex DEO, non peccat, sed generatio DEI conservat eum, & malignus non tanget eum.* Fit autem generatio haec nulla alia re, quam verbo DEI, vt ait *Iacobus cap. 1. Voluntarie*, inquit, *genuit nos, verbo veritatis. Voluntarie* dicit, h.e. gratuito liberoque bene placito, non nostro merito, neque dignitate. Non enim nobis quaerentibus, petentibus, pulsantibus, sed ipsius misericordia volente ge-

nerantur hac generatione, quicunque generantur: Multo certe magis, quam carnis filius generatur, ipso nihil agente, petente, merente, sed aut voluptate carnis, aut viri volente. Quomodo enim in Spiritum queat formari aeterne victurum, qui in foedam peccati carnem mox morituram non potuit suis viribus formari? Multo ergo magis opus est Patre coelesti ad vitae generationem in iustitia & veritate. Vtrobique enim nihil est, qui generatur tantum * vt sua opera, suoque merito generari non possit: totus autem qui est, in voluntate Patris est, quo voluntarie & cum voluptate generantis, generatur.

§. 3. Vt autem generatio diversa est, carnis & Spiritus; vt pater diversus est, coelestis & terrenus; vt filius diversus est, immortalis & mortalis, iustus & peccator, sanctus & pollutus: Ita & semen quoque diversum est, alterum coeleste, quod est verbum DEI; *verbo* enim *veritatis* (inquit) *genuit*; alterum carnale, non verbum veritatis, sed spuma

san-

*Lacuna in MSPto.

ſanguinis, venenum peccati antiqui. Ideo illic generantur filii veritatis, ſeminis ſui vim & naturam referentes; hic filii vanitatis, ipſi quoque vim & naturam ſui ſeminis referentes, adeo vt omnis homo hinc vanitas & mendacium vocetur. Sicut enim ex ſemine tritici, triticeus naſcitur culmus, deinde idem fructus, triticum: ita ex verbo veritatis non niſi verax homo naſcitur, ex ſemine peccati non niſi homo peccator: Deinde vtriusque fructus, veritas aut mendacium, in verbo & opere vnius cuiusque ſecundum genus & ſpeciem ſuam. Sublucet autem in iſto verbo Iacobi Apoſtoli & aliud. Nam cum dicit: *Verbo genuit nos*, ſatis diſcernit evidenter hanc coeleſtem nativitatem ab omni communi terrena nativitate, cum illa verbo, haec opere fiat & re ſeminali. Quod autem addit: *Verbo veritatis*, iam nos attentiſſimos reddit, & obſervare nos, aliam quandam eſſe nativitatem, quae quidem verbo fiat, ſed non veritatis, imo mendacii & vanitatis: quae, quia verbo fit, coeleſti illi miro modo ſimilis eſt, plurimoſque fallit, at quia falſi-

tatis

tatis verbo fit, omnes horribiliter perdit. Neque enim aut Prophetis, aut Apostolis, aut etiam * doctis maiorem fuisse curam, sudorem', afflictionem. videmus, quam vt his adulteris resisterent, Pseudoapostolis, Pseudoprophetis. Hic enim quia *verbum DEI* (vt 2. Cor. 4. scribitur) *adulterantur*, speciem quidem praetexunt verbi veritatis, sed sub verbo DEI venenum mortiferum erroris sui infundunt, generantes non nisi filios iniquitatis, filios diaboli, cuius sunt & apostoli. Ita in Ezechiele & Osea arguitur Synagoga, quod *adulteros dilexerit, & insanierit libidine:* ** i. e. (vt Apostolus interpretatur) *magistros prurientes auribus*, quibus docentibus & generantibus foecundatur, & generantur filii mendacii & iniquitatis. Haec sane pessima omnium generatio, ipsa quoque, quae ex carne peccati fit, deterior est; quia caro generat quidem peccatorem in spiritu ad mortem sempiternam. Peccator carne genitus iuvari potest in spiritus sub-

Ezech. 16. & 23. Hos. 1.

* f. Doctoribus.
** lacuna in MSPto.

substantiam; at spiritu adulterino genitus irrecuperabiliter perseverat periturus. Habet tamen originem suam ex carnis nativitate. Nam cum per carnem nascatur homo vanus & mendax totus, fit vt cum * sapiat quoque ea, quae carnis sunt, non raro sub magna specie spiritus: quae quum secutus observarit & docuerit alios, iam quoque spiritus eius & illorum verbo impietatis generantur in impietatis vitam seu mortem potius. Et tamen vivunt impie, sapiunt impie, docent impie, vt *Psalmus I.* dicit: *Beatus vir, qui non abiit.* Hi sunt, qui cum carnem sapiant, eadem sententia in spiritu ruunt, iam carnaliter spirituales, h. e. horribili spiritus specie pereuntes.

§. 4. Haec autem ad nos, Reverendi & Optimi Sacerdotes CHristi. Quod enim ** conventus hac nimirum ratione sit institutus, vt sacerdotes conveniant, & hi, qui populis praesunt, & ministri nativitatis huius spiritualis & divinae sunt, vt qui verbi veritatis nuncii sunt, sicut Zacha-

* F. carne.

** Omissum aliquid, & pendet etiam sententia.

Mal. 2. chariae dicitur: *Angelus Domini exercituum sacerdos est, & de *** ordine eius requiremus legem DEI, & labia eius custodiant scientiam DEI:* Conveniunt autem in communi, vt consulant rebus totius huius ecclesiae, & (vt vocant) pro vtriusque status reformatione laborant. Maxima & prima omnium cura est, (atque vtinam flammantibus atque ardentibus verbis id possem in corda vestra personare, ac vt Propheta dicit, grandinem & carbones ignis, carbones desolatorios, & sagittas potentis acutas fulminare! *Esa. 6. Psalm. 126.* adeo est res ista hodie omnium maxime necessaria,) vt sacerdotes primo omni verbo veritatis abundent. Scatet totus orbis, imo inundat hodie, multis & variis doctrinarum sordibus: tot legibus, tot opinionibus hominum, tot denique superstitionibus passim populus obruitur magis quam docetur, vt verbum veritatis vix tenuiter micet, in multis vero locis ne scintillet quidem aliquando. Et quae potest esse nativitas, vbi verbo hominum, non DEI

*** leg. ore.

DEI, generatur? quale verbum, talis & partus: qualis partus, talis populus. Mirari nos ſolemus, tantam in populo Chriſti regnare diſçordiam, iram, invidiam, ſuperbiam; inobedientiam, libidinem, gulam, penitusque frigere charitatem, fidem extingui, ſpem evacuari: deſiſtite, quaeſo, mirari. Non ſunt iſta mirabilia. Noſtra haec Praelatorum & ſacerdotum culpa eſt. Hi potius admirandi ſunt, * iam eos eſſe coecos, iam ſui officii oblitos, vt qui verbo veritatis huic nativitati ſervire debuerant, aliis intenti, rerumque temporalium curis ſuffocati penitus illud omittant: maior vero pars fabulas (vt dixi) docet, & humana commenta. Et adhuc miramur, talibus verbis talem populum fieri?

Satan patitur mores Clericorum corrigi, non autem doctrinam.

§. 5. Hic mihi quiſpiam dicet, Magnum eſſe crimen & ſcandalum fornicationem ac potationem, luſus, & ſi quae alia in Clero, reprehenſione digna. Fateor, haec magna ſunt, arguenda ſunt, mutanda ſunt: verum haec ab omni-

* f. tam e, e. e, tam ſui &c.

mnibus agnoſcuntur, craſſe ſunt corporalia & ſenſibus expoſita, ideo & movent animos: Sed heu! haec labes & peſtis incomparabiliter nocentior & crudelior eſt, non tractaſſe verbum veritatis, aut illud adulteraſſe; atque hoc malum, quia craſſum corporale non eſt, non agnoſcitur, non movet, non terret, quod tamen ſolum agnoſci maxime oportuit. Quotusquisque ſacerdotum eſt hodie, qui non maius peccatum dicat, ſi lapſus ſit in peccatum carnis, ſi non oraverit, ſi titubaverit in Canone, quam ſi verbum veritatis omiſerit, aut non recte tractaverit? Nam hi, alias boni & ſancti viri, graviſſime errant. Solum verbum veritatis eſt, in quo putant ſe non poſſe peccare, cum pene ſolum ſit, in quo ſacerdos peccet, vt ſacerdos. In ceteris ſane peccat, vt homo: hic, ſi verbum omittit aut adulteratur, in officium ſuum & vt ſacerdos, i. e. longe horribilius, quam homo, peccat. Adeo, proh dolor! dure & inſenſate Pontifices hodie ſecuri ſunt, vt non modo tacuerint, ſed quicquid tandem e bucca in populum ſpiraverint, hoc praedicaſſe ac docuiſſe ap-

pel-

pellitent; nullam prorſus rationem habentes, nullo timore commoti, an ſit verbum veritatis, ad nativitatem divinam appoſitum, nec ne; pro quo tamen ſolo ſunt, quicquid ſunt, h. e. ſacerdotes & clerus. nam in ceteris omnibus non eſt opus ſacerdotibus. Proinde ſi Pontifices aut ſacerdotes alioqui eſſent rotunde ſancti & beati, ſi in hoc vno ſint incurioſi, (ſicuti ferme omnes ſunt) vt verbum veritatis non curent recte tractari, certum eſt, eos inter lupos, non inter paſtores numeratum iri, inter idola, non inter Pontifices coram DEO haberi. Sit alias caſtus, ſit humanus, ſit doctus, augeat reditus, aedificet domus, dilatet ditionem, denique faciat miracula, ſuſcitet mortuos, eiiciat daemones: Ille ſacerdos ſolum eſt & paſtor, qui angelus Domini exercituum eſt, i. e. nuncius DEI, h. e, qui verbo veritatis populo praeeſt, ſervit ad nativitatem hanc divinam. Non ergo iſta ſunt pericula paſtorum, quae vulgo iactantur, de altitudine gradus, de regimine conſcientiarum, de ratione reddenda pro divitiis ac poteſtate; levicula haec ſunt: Ve-

rum

rum omnia ſuperat pericula, verbo veritatis defuiſſe, & populum CHriſti non auxiſſe, qui ſola hac nativitate augetur, ſolo verbo iſto alitur & perficitur. Hos enim
Ier. 29. filios ac filias Dominus generari praecipit in Hieremia: hic nos creſcere & multiplicari iubet. Hoc enim ſi fuerit ſervatum, iam conſcientiarum regimen, animarum cura, gradus altitudo, abunde feliciter habent, ac ſine periculo agunt. Quare etiamſi in hac venerabili Synodo multa ſtatueritis, ſi omnia bene ordinaveritis, & huc manum non appoſueritis, vt ſacerdotibus * populus doctoribus mandetur, quatenus reciſis fabulis, quae auctorem non habent, puro evangelio ſanctisque evangeliorum interpretibus incumbant, intendant, populoque cum timore & reverentia verbum veritatis pronuncient, denique & doctrinas quascunque humanas omittant, aut parce cum expoſita diverſitate earum admiſceant, & ſic ad nativitatem divinam cooperati fideliter fuerint: ſi, inquam, haec non curave-

* *) populi doctoribus*, aut, *populos doctoris*: aut, populus doctioribus.

raveritis ſtudio ſummo, piis precibus, conſtanti, ſerio; ego liberrime pronuncio, cetera omnia nil eſſe, fruſtra nos conveniſſe, nihil profeciſſe. Nam hic rerum cardo eſt, hic legitimae reformationis ſumma, hic totius pietatis ſubſtantia. Quae eſt enim dementia, & tam perverſa perverſitas, vt de bonis moribus cogites, & non magis cures, quomodo hi fiant & ſint, quibus bonos mores paras? Hoc certe iam non eſt aliud, quam in ventum aedificare domum: hoc inſania omnium ſumma. Stat fixa ſententia, eccleſiam non naſci, nec ſubſiſtere in natura ſua, niſi verbo DEI. *Genuit*, inquit, *nos verbo veritatis.* Non ergo aliud verbum quaerendum, tractandum, acceptandum; niſi velis ſimiliter nativitatem hanc divinam tollere, eccleſiam extinguere, & populum Chriſti more Pharaonis in fluminibus Aegypti ſubmergere, quod eſt humanis verbis perdere. Nam, vt verum eſt, omne, quod natum eſt ex DEO, DEIque verbo, non peccat: ita verum itidem eſt, Omne, quod natum eſt ex homine hominisque verbo, peccat & pecca-

tum

tum eſt,ideo neceſſario per.bit in aeternū. O vtinam rectoribus eccleſiae, nobis, inquam, haec res cordi ſederet aliquando, & apertis oculis! Non enim malitiam populi, non radicem obſervaremus. Radix autem malitiae huius eſt defectus verbi veritatis. Quid enim niſi male agat populus, quando verbo caret, quo non peccat ex DEO natus? Proinde ſcriptura recte perditionem populi paſtoribus imputat, de manibus eorum requirit. Nos tamen, excuſantes nos ipſos, populum accuſamus, id, quod foris malum operantur, videntes, id, quod intus eſt, nos non damus, non videntes. Haec de primo.

§. 6. Iam, quid *mundus*, videndum. Non de Mundo viſibili hic loquitur, qui neque vincit, neque vincitur per CHriſti fidem; ſed neque homines in mundo nunc accipiemus, quia quis vincere putetur ſe debere homines, niſi Turca eſſe velit? Mundus ergo proprie ſunt mali affectus, in quibus Satan regnat, mala opera, irae, ſuperbiae, libidinis, avaritiae, vanae gloriae & ſimilium, ſicut clare ipſe Io-

annes

1. Io. 2. Iannes dicit: *Omne, quod est in mundo, est concupiscentia carnis & oculorum, & superbia vitae*, q. d. praeter ista nihil est in mundo, & mundus non esset, si haec non essent. Fit tamen, vt mundus iste visibilis & homines sic appellentur, quia in hominibus & mundo istae pravitates versantur; sicut continens pro contento, civitas pro civibus. Infames enim & mali cives infamant quoque civitatis suae nomen, vt: *Ierusalem, quae occidis eos, qui mittuntur ad te.* Matth. 23. Et alibi: *Aegypte, noli flere.* Sic mundus dicitur malus, & nos impugnare, quia affectus nostri, qui sunt in hoc mundo, mali sunt, & nos impugnant. Consequens est, quod mundus sit in unoquoque homine: non extra nos mundus vllus est. *Vnumquisque peccat* (inquit Iacob) *a concupiscentia sua* (non alterius vtique) *abstractus & illectus.* Sic Paulus Tit. 2. *Abnegantes impietatem & secularia desideria* (& mundanas concupiscentias) *sobrie & iuste & pie vivamus in hoc seculo.* Forma, divitiae, gloria, honor &c. Pravi

Sicut enim regnum Dei est intra nos, sic & Satanaei Iac. 1.

affectus aut mundus omnia DEI dona deprauat.

non sunt mala, neque ad peccatum trahunt, imo, cum sint bonae creaturae DEI & pulchrae, erigunt potius & ad DEVM ducunt natura sua. Omnia enim, quae fecit DEVS, valde bona sunt. Itaque nil in mundo creatum est, quod non ad bonum promoveat. Sed malitia concupiscentiae nostrae perverso affectu illa quaerit. Hic est vere mundus, qui suo vitio formosis rebus ad concupiscentiam trahitur, quibus ad castitatem trahi debuit: suo vitio in adversis tristatur & dolet, quibus ad fortitudinem & victoriae coronam animari debuit; & nulla prorsus re mundi recte vtitur, omnibus autem abutitur, & malo suo vsu nomen tribuit infame mundo, in quo habitat, & tales abusiones exercet.

Cur praesens vita dicatur mundus, futura vero coelum?

Quoniam ergo verbo veritatis iam nati sumus, & in novam naturam mutati, mox cum hoc ipso mundo bellum nobis oritur, sicut Petrus ait: *Abstinete a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam.* Rursus nos quoque militamus adversus ea, sicut

1. Pet. 2.

Gal.

Gal. V. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: haec enim invicem sibi adversantur,* Et Iob. 7. cap. *Militia est vita hominis.* Hic vero sumus eximie stulti, qui vocabulo mundi nescio quid extra nos cogitantes, interim cupiditates & affectus nostros (verum mundum) prorsus nihil observamus, securi dormimus, pacifice vivimus, dicentes cum filiis Israel, Pax, pax, cum non sit pax. | *Ier. 6.* Nam non minore cura hoc quoque nobis persvaderi indigemus, scilicet nos esse in assiduo, periculosissimo, maximoque bello cum istis affectibus. Adeo obliti sumus, quae etiam sentimus quotidie. Nonne & hic invenimus plurimos, qui plus observent, quonam modo lotis manibus celebrent, nitidis ornamentis induantur, puris vasis & pannis offerant, syllabas orationum non omittant, quam quomodo cupiditatibus velint resistere, quomodo libidinem extinguere, avaritiam opprimere, ambitionem calcare &c. omnia agere praeterea, quae ad rem proprie pertinent? S. Ioannes dicit: *Omne, quod natum*

natum est ex DEO, vincit mundum: evidenter indicans, bellum nobis esse cum mundo, & a nobis vincendum. At nos nescio de quibus nugis consultamus, seria haec raro in mentem veniunt. Proinde alterum officium huius Synodi venerabilis est, vt in Clero non tanta cura statuatur, quid legendum, orandum, qua die, quae festa agenda, quibus vbique cerimoniis vtendum, quam prouideatur, vt sint regulae & statuta, quibus frenentur cupiditates, quibus discant & moneantur, in acie sese stare, hostes suos iam domesticos esse, nec die nec nocte ab eis tutos esse, vt in Clero boni Episcopi lux luceat coram hominibus in castitate, humilitate; modestia, & omnis ille catalogus virtutum, quem Paulus Tit. 1. & 1. Tim. 3. commemorat. Nihil profuerit, his omissis, alia quaedam temporalia & spiritualia in Iuribus, priuilegiis, dignitatibus solum curasse, cum haec illorum, non illa horum gratia sint. Neque digna res est Syn-

Sic nostri Germani multa tractant & machinantur, interim negligentes resistere Turcae. Sic nos multis studiis & exercitiis vacamus, interim prauis affectibus neglectis.

Synodo, res leviores magnifice dispoſuiſſe, & graviſſimas non attigiſſe. Cetera omnia ſunt extra nos, non ſemper nos occupant: at pravae cupiditates intra nos ſunt, aſſidue nos captivantes, vt Paulus Rom. 7. dicit: denique multos captivos tenent: & hic nihil conſulemus? nihil moliemur? quo his malis ſuccurratur, milites inſtituantur, hoſtes aggrediantur? Tum ſane merito ridebit nos Synodumque noſtram mundus iſte noſter, vt qui ſentiat ſolo vocabulo, ſolo apparatu, ſolo loco adverſus ſe Synodum cogi, nec bellum ſibi iudicandum, ſed nec de bello cogitandum, quod videbitur * ſecurus triumphabit, & ſpolia auferet atque diſtribuet; hunc in luxus, illum in libidines, iſtum in avaritiae, alium in invidiae tyrannidem raptans, & diſperget in Aſſyrios, ac in omnes Babyloniae confuſionis terminos. Tum videbitur fructus ſimulatae & fictae Synodi; quod avertat Dominus!

* Hiulcus locus.

§. 7. Tertia eſt laeta illa *victoria*. Et, quae illa ſit, Ioannes expoſuit: *Haec*

 eſt,

est, inquit, *victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Ita & Paulus: DEO autem
1. Cor. 15. gratias, qui dedit victoriam per IEsum CHristum, Dominum nostrum! Docuit, nos in bello assidue agere, nempe adversus mundum: docuit, qui milites sint, puta, qui ex DEO nati sunt. Iam hoc deerat, vt sciremus ita bellari, quo victoriam obtineremus. Nam bellum inire, & nescire, qua ratione pugnes & vincas, hoc est nimirum caedi & ridiculo se exponere, praesertim tam robustis, tam multis, tam astutis, tam insidiosis, tam exercitatis hostibus, inveteratis, inquam, concupiscentiis nostris. Quae est ergo pugnandi ratio? quae spes certa victoriae? Fides nostra. Sic & S. Petrus docet; *Fratres,*
1. Pet. 5. *sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Ecce fortitudo fidei resistit diabolo, sicut & Isaias 11. dicit: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Ecce fides cingit & restringit lumbos ac renes, i. e. libidinem, non autem solum libidinem, sed

omnem

omnem prorsus cupiditatem. Quocirca clarum est, his, qui cupiditatibus pravis cedunt & obsequuntur, solam fidem deesse, veram loricam & armaturam DEI. Rursum & illi errant, qui humanis viribus & studiis praesumunt vitia sua vincere, saepius incipientes, rursum relabentes. Non vincuntur, nisi fide, & hac robusta.

§. 8. Quomodo haec possunt fieri? Nempe cum fides substantia sit rerum non apparentium, qua mens abstrahatur ab omnibus his, quae videntur, & quibus cupiditates irritantur, in ea, quae non videntur, proiicitur; si ibidem fixa permanserit, sine dubio omnes cupiditates conculcat, de visibilibus commotas. Ideo fortitudine in fide opus est, vt visibilibus motas cupiditates invisibilium intuitu contemnat. Cum vero ista fides in corde fuerit, similiter Christus praesens est, in quem ea fide creditur: Christo autem praesente, omnia superabilia. Nec est alia ratio vincendi efficacior & nobilior; imo haec sola est victoria, Fides nostra. Tunc enim vincunt cupiditates, quando suis commoti-

Modus victoriae. Hebr. 11.

motionibus oculos fidei, velut nube & turbine obnubilaverunt, & in tuenda, in visibilia nos detraxerint, vt obliti invisibilium, interim illarum illecebrarum expleamur. Proinde etsi vigiliae, labores, reliquaque studia corporalis exercitationis sint vehementer vtilia & necessaria, non tamen sunt satis ad expugnandam cupiditatem: quia, si carnis illecebra his expugnetur, non tamen ira, invidia, superbia, ambitio: haec sola fide vincuntur.

§. 6. Verum quoniam res ista multa & magna est, hac vice sat est dicere, quia *fides impetrat, quae lex imperat*, vt *Augustinus* dicit, h. e. in omni tentatione mundi nostri, ipsa clamat in corde, & invocat manum invisibilis DEI, levans in montes oculos suos, vnde veniat auxilium sibi. Quare hoc nobis reliquum est, vt, cum in viribus nostris non sit, fidem habere, atque ita nec feliciter bellari, neque cum gloria triumphare, ad Dominum clamemus, dum tribulamur, & exaudiet nos; de coelo victoria est. Ita fiet, vt omnis, qui invocaverit nomen domini, salvus sit: invocat autem solus, qui credit: credit

autem

autem solus, qui audit verbum veritatis: audit autem solus verbum veritatis, qui Evangelium audit: audit Evangelium solus, qui sacerdotem angelum DEI audit. Quare primum & novissimum est, vt omni studio satagamus, evangelium commendatissimum habere, nocturna versantes manu, versantesque diurna: quo efficiemus, vt ex DEO nascamur, ex DEO nati non peccemus, non peccantes victoria laeti fruamur. Quod nobis concedere dignetur IEsus CHristus, filius DEI, auctor & verbi & fidei victoriae, benedictus in aeternum! Amen.



DVm priora excuduntur, incidi in epistolam Lutheri ad conversum quendam Iudaeum exaratam. Descripta quondam fuit a Matthaeo Reisnero, Neapolitano ad Orlam Thuringo, circa A. C. CIↃ IↃ XCIII. vt ipse sua manu testatum reliquit; eiusque ex re libraria ad Seidenbecheros primum, & tandem ad me pervenit. Eam, quum nondum extet, quod sciam, publice, exhibere hic Tibi, Benevole Lector, aequum existimavi. Videtur autem scripta esse circa annum vel CIↃ IↃ XXIII. quo de nativitate CHristi ex genere Iudaeorum peculiari libello Lutherus egit, vel CIↃ IↃ XLIII. quo Iudaeeorum mendacia coarguit publice, atque de Christi genere ad Matth. I. itemque de vltimis verbis Davidis est commentatus: fit enim in ea expressa libri cuiusdam Lutheri, vsibus etiam Iudaeorum, agnoscendo ab ipsis Servatore, inservituri, mentio. Malim tamen ad A. CIↃ IↃ XXIII. referre, praesertim, quum in libro tum temporis edito de Iudaeis per Pontificios ad sacra

Chri-

Christiana traductis in eandem fere, quam his in literis ostendit, disputet sententiam.

EPISTOLA MART. LVTHERI ad BERNHARDVM, e Iudaismo conversum.

GRatiam & pacem a Domino! Infamis est fere toto orbe Iudaeorum conversio, non modo apud Christianos, sed & apud Iudaeos: his dicentibus, neminem bona fide a Iudaismo deficere ad Christianismum, sed quod, qui id tentet, aliquo facinore insignis apud Iudaeos manere non potuerit; illis vero experientia testantibus, solitos eos vel redire ad vomitum, vel ficto nomine Iudaismum deserere. Nobilis est historia illa, quae sub Sigismundo Imp. gesta dicitur, vbi aulicus Iudaeus apud Imperatorem multa prece ambivit Christianismum, tandem admissus & baptizatus, postea & tentatus est, sed ante tempus & vltra vires. Nam mox

bap-

baptizato duos ſtruxit ignes Imperator, alterum Iudaeorum, alterum Chriſtianorum appellans, iuſſitque Iudaeum baptizatnm eligere, vtro mallet exuri? Iam enim, ait, baptizatus & ſanctus es, melior impoſterum haud temere fies. Hic miſerabilis homo vel fictae vel imbecillis fidei ſuae teſtis, elegit Iudaeorum ignem, & Iudaeus inſiliit, & Iudaeus arſit. Nota eſt & illa de teſtamento Iudaei baptizati Coloniae, & multae aliae. Sed huius infamiae cauſſam eſſe puto, non tam pertinaciam & nequitiam Iudaeorum, quam inſulſiſſimam ruditatem, aſininamque ignorantiam, tum ſceleratiſſimam impudentiſſimamque vitam Pontificum, Sacerdotum, Monachorum, Scholarumque, vt qui nec doctrina, nec moribus Chriſtianis vllam ſcintillam lucis aut ignis exhibuere Iudaeis: ſed omnibus contrariis, tenebris & erroribus traditionum ſuarum, & exemplis peſſimorum morum, corda & conſcientias eorum alienarunt, & ſolo nomine Chriſtiano imbuerunt, vt recte illud Chriſti de illis dictum intelligas: Vae vobis, Scribae & Phariſaei, qui circuitis

mare

mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, &, quum factus fuerit, facitis eum filium gehennae duplo quam vos. Matth. 23. v. 15. Scilicet ii Iudaeos culpant, quod ficte convertantur, sese vero non culpant, quod eos ficte & impie convertant, imo de errore vno in alium peiorem duplo seducunt. Quae, rogo, gloria, imò quae furia sit eius magistri, qui puero bonae spei & indolis non tradat, nisi pestilentissima, tum vita ipsa monstret nihil nisi corruptissimos mores, postea lavet tamen manus, & dicat, puerum non didicisse a sese bona? Sic lena doceat puellam meretricari, postea accuset, quod non vivat virgo. Plane hanc fuisse rationem convertendi & instituendi Iudaeos apud Sophistas & pharisaeos nostros, ipsa tua quoque experientia testis est. Verum quum iam oriatur & fulgeat lux aurea Evangelii, spes est, fore, vt multi Iudaeorum serio & fideliter convertantur, & sic rapiantur ex animo ad Christum, sicut tu raptus es, & quidam alii, qui reliquiae estis seminis Abrahae per gratiam salvandae. Nam qui incepit, perficiet, nec sinet ver-

buma

bum suum ad se reverti inane. Proinde ad te visum est mittere hunc libellum, pro roboranda & certa facienda fide tua in CHristum, quem recenter ex Evangelio didicisti, ac nunc demum etiam in spiritu baptizatus, & ex DEO natus es, quem velim tuo exemplo & opere, & apud alios Iudaeos vulgari, vt, qui praeordinati sunt, vocentur, & veniant ad David regem suum, qui pascat & servet eos, qui apud nos a Pontificibus & Pharisaeis, in hoc iudicium praedestinatis, incredibili insania damnatur. Vale in DNo, & ora pro me.

S. D. G.



IN-



INDEX.

Numerus Romanus epistolas: minor, paginas praefationis & Vitae Linki: Serm. cum nota §. in Sermone Lutheri legi ista indicat.

A.

B (Ca-

226-

C. Ca-

C.

Erne-

I. In-

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P. (Ot-

P.

R.

Ro-

Spi-

(Wolfg.)



ER

ERRATA SIC CORRIGAS:

In dedic. p. 5. lin. 10. leg. *in suscepta.* in Vita Linc. p. 3. lin. 5. *easque.* lin. 6. *contra*. p. 4. lin. 6. a fine. *utrique.* p. 7. lin. 17. *illustrem.* p. 8. l. 14. *ex eo.* p. 11. lin. 8. adde: *multisque familiarum designationibus.* p. 17. lin. 2. *Islebiae.* lin. 3. *f. m.* 56. p. 19. lin. 3 *resideret.* p. 26. lin. 6. a fine, post: *opponendum.* adde: *quem iam annis superioribus gratia atque auctoritate apud Proceres Evangelicos florere viderant, quorum in concilio quum aliquando quaereretur: Num Caesari vi resistere liceret? varieturque sententiis, Saxonis legatus Venceslaum nostrum inprimis ex omni ministrorum ecclesiae Norimbergensis numero adhibendum sibi censuit, qui & aperte, quid sibi videretur, prolocutus, & simul, aliud Osiandro placere, ingenue fassus est. Muller. in Histor. Protest. A. 1529. & Aug. Conf. p. m. 351.* p. 28. lin. 3. *Etenim.* p. 35. lin 14. *Heidii.* lin. 2. a fine: *T. II.* p. 39. lin. 5. a fine: *infimorum.* p. 53. lin. 6. a fine: *abdicavit.* lin. 4. a fine: *fluctuo.* p. 61. lin. 11. a fine. *uxorem.* p. 64. lin. 5. a fine: *Norimbergae quaereret.* p. 86. lin. 2. a fine: *viro.*

viro. p. 107. l. 3. a fine: *Luthero*, p. 112. l. 3. a fine: *Lutheri*, p. 125. lin. 5. a fine: *veniet*, p. 149. lin. 5. a fine: *Volfgango Volprechto*, p. 158. lin. 20. *Spirensibus*. p. 159. lin. 2. a fine: *Turcis*, p. 171. lin. 10. *natas*, p. 176. lin. 7. a fine: *annotavit*, *Merseb.* p. 189. lin. 4. a fine: *hospes*. p. 190. lin. 14. *fit*, *&*. p. 192. lin. 9. post: *virili*. add. *inservire conantur*. p. 215. lege: *libidinis*.

